

EORVM QVI VEL ELEEMOSYNAS EROGAVERVNT ADMIRABILES FRVCTVS,

VEL DE ELEEMOSYNA SCRIPSERVNT INSIGNES SENTENTIAE NVNQVAM antea in vnum ita collectæ.

Opera Iulii Fulci.

Index breuis Exemplorum & Sententiarum maximè illustrium.



R O M Æ,
Apud Victorium Elianum.
Permissu Superiorum.

M D L X X I V.



ILLVST.^MIS ET REVER.^MIS

Alexandro Farnesio, Iulio de Ruuere, Nicolao Sermonetæ, Alphonso Iesualdo, Flauio Vrsino, Benedicto Lomellino, Aloysio Estensi, & Ferdinando Medices, S. R. E. Card. Ampliss.
nec non
Prælatis & cæteris Nobilibus viris, Confratribus Societatis miserabilium Virginum Sanctæ Catharinæ de Rosa, Almæ Vrbis, Dominis meis obseruandiss.





IRARI forte quispiam poterit, quod ego fecularibus negotiis impeditus, & in sacris literis non versatus, loca aliquorum sanctorum Patrum, & sanctæ scripturæ, in quibusuis, & merces eleemosynæ, atque vberrimi fructus contineatur, colligere, & vobis Dominis meis offerre præsumpserim. Sed vna illa mihi tantùm ratio fuit, quæ omnes profecto cogere deberet, iuuandæ scilicet, & promouendæ nostræ societatis. Nam ab ipso statim initio, cùm volentibus, & consulẽtibus vobis, electus fuissem Deputatus, cœpi cogitare multitudinem puellarum, quæ iam receptæ erant, quæque ad eam ætatem peruenissent, vt iã aut collocandæ, aut alicui Monasterio dedicandæ essent, simulque videbam innumeras penè alias, quæ,

ne ob pauperiem ad inhonesta traherentur, reci-
pi efflagitarent. Angebar ego quidem animo, af-
flictabarque vehemēter, cùm illas sic retinere tur
pe,& indecorum; has verò reiicere valde periculo
sum, & à sanctissimo nostræ societatis instituto lō-
gè alienum esset: vtrumque autem ita difficile, vt
penè impossibile, propterea quòd societatis red-
ditus essent nulli, & eleemosynæ pro pauperum
multitudine satis tenues. Sunt enim aliqui, qui ab
eleemosynis faciendis deterrentur, quòd sibi mo
dicam existimant repositam esse mercedem. Alii
autem sibi timent, ne ob elargitionem eleemosy-
narum,in pauperiem deuenientes, cogantur ipsi
postea mendicare. Alii verò sic erga filios,& fami-
liam afficiuntur, vt quasi propriam negligant salu-
tem. Huic autem malo nullum firmius remedium
adhiberi posse existimabam, quam si diuina illa sa-
crarum scripturarum oracula, quæ olim sanctos
omnes inflammarunt,impulerunt, & ad pietatem
erga pauperes coēgerunt, proponerentur. Neq;
enim existimādum est,sanctos illos Patres, in quo-
rum pectore, spiritus CHRISTI ardebat, tàm
magna opera in pauperes exercuisse, vt alii dimi-
dium bonorum,alii vniuersas opes,alii vestimenta
quibus tegerentur,alii se ipsos venderent, vt mise
riis pauperum succurrere possēt,nisi ex illis sacris
oraculis, diuinisque scripturis luce clarius intelle-
xissent,magnum esse pietatis opus,Deoq; gratissi-
mum

mum & ampliſſimam facientibus eleemoſynas, cō-
ſtitutam eſſe mercedem; atque id certè eſſe, quo
Christiani ab aliis ſecernantur. Intelligebant etiā,
quomodo propter eleemoſynarum elargitionem
paruæ opes creſcerent, magnæ verò non ſolum
non dilaberentur, ſed magis, ac magis auctæ, æter-
nam promererentur felicitatem. Collegi itaq; in
libello, quē nunc vobis offero, ſanctorum aliquot
Patrum ſententias, quibus veluti diuinis ignibus
inflammati, ardentius pietatem coleremus. Namq;
nullo modo adduci poſſum, magnos illos viros, do
ctos, & pientiſſimos, tam illuſtribus præconiis, & ce
leberrimis laudibus, eleemoſynam commendauiſ-
ſe, & tota vi ſuadere contendiſſe, niſi eius & virtu-
tes, & ſanctiſſima merita fuiſſent experti. Et varia
quidem, ac multa, ſed veriſſima exempla congeſsi,
vt conſiderantes quot & quanta bona, ſanctis viris
propter eleemoſynas euenisſent, nos etiam illa ea
dem poſse, & maiora quidem promereri exiſtima
remus. Addidi poſtremo nonnullas auctoritates,
ſiue (vt melius dicam) præcepta ſanctarum ſcri-
pturarum, quo diuinam in illis voluntatem, & elee
moſynæ neceſsitatem, & remunerationem agno-
ſcentes, eam vbique ſectari non dubitemus. Plura
quidem alia facile addi poterant, ſed vniuſcuiuſq;
pietati ſat multa, hæc fore cogitaui. Certè mihi ſa-
xeus homo videtur, qui neque ſacris literis, in qui
bus Deus loquitur, neque ſanctorum teſtimoniis,
in qui-

in quibus habitat CHRISTVS, neque variis, & verissimis exemplis, quæ Spiritus Sanctus effecit, commouetur, disponitur, inflammatur. Quæ quidem cùm piis omnibus communia sunt, tum nostræ Societatis valde propria, vnde maior etiã forsan expectari possit beneficentia. Namque Societates aliæ aut vulnera, aut corpora sanãt, nutriunt, sustentant; nostra verò, quasi altius se se promouens non modo corpora nutrit, sed innocentiam etiam conseruat, & illam a facinorosis hominibus tutam esse iubet. Quis enim ignorat flagitia, stupra, & sacrilegia penè infinita, nisi societas nostra has puellas virgines susciperet? tueretur? Præsentabunt sanè aliæ, idque magno cum pietatis merito coram Angelis Dei corpora sanata; nostra verò animas omnibus corporibus meliores: animas inquam ab innumerabilibus peccatis & de ore inferni liberatas, & præseruatas. Quod si verum est fraternam correctionẽ animam fratris suis lucrari quod à peccato reuocet tantum, quanta certè animas nostra societas lucrabitur, cum ab illis ipsis peccatis, in quæ procul dubio lapsæ fuissent, reuocauerit, collegerit, conseruauerit. Sed aliæ societates vident vulnera, egentiaq; corpora cernunt, & quadam naturali pietate affectæ commouentur: nostra autem quasi cum voluptatibus, & illecebris huius mundi pugnans, nihil videt quo natura ipsa compelli videatur: sed tota se se ferens, & eleuans

in Dei

in Dei amorem, amplectitur animas, odit vitia, diligit castitatem, claudit infernum, Deoq; reparatas animas tanquam pulcherrima munera offert. Quamobrem obsecro Dominos, & confratres meos amantissimos, vt velimus hæc simul conside rare, & à tam sancto, tamq; religioso instituto nullo modo recedere. Redimamus precor peccata, & animas nostras hac facili eleemosynarum via: Augeamus opes, & bona nostra pia elargitione; Repo namus nostros thesauros per manus pauperum in cœlis; Relinquamus filiis nostris amplum patrimonium, pietatem scilicet, & eleemosynarum merita, & Deum, qui omnia videt, omnia potest, & nihil irremuneratum relinquit, illis protectorem, & tutorem constituamus.

ROMAE. Die 24. Decemb. MDLXXIII.

Humilimus seruus

Iulius Fulcus.

INDEX AVCTORVM ET
Librorum eorum e quibus præsens opus collectum est.

Laus Deo. Virginiq; Matri.

EORVM

QVI VEL ELEEMOSYNAS EROGARVNT ADMIRABILES FRVCTVS,

VEL DE ELEEMOSYNA scripserunt insignes sententiæ nunquam antea in vnum ita collectæ.

CAPVT PRIMVM.

EX PRATO SPIRITVALI, quod est Tomo VII. Vitarum Sanctorum Patrum, Aloysij Lipomani.



VM in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria, mater domini Pauli Candidati, dicens. Cum essem in ciuitate Nisibe, erat ibi Christiana mulier, virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quadam ait vir vxori suæ, Demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex eis capiamus, ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona vxor, ait viro; Si placet ea fœnerari, veni demus illa sub fœnore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius; Et vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? Ait Cap. 185.

A illa;

illa; Ego tibi ipſum oſtendam; ſi enim huic dederis ea, non ſolum non illa perdes, ſed & vſuras tibi perſoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi; Eamus, oſtēde mihi illum, & demus ei. Illa verò aſſumens virum ſuum duxit in ſanctam Eccleſiam. Habet autem Eccleſia illa quinque magnas ianuas. Cum ergo induxiſſet illum in Eccleſiæ porticum, oſtendit ei pauperes, dicens; Iſtis ſi præbueris, Deus Chriſtianorum ipſa accipit; iſti enim omnes ſui ſunt. Qui mox cum gaudio numiſmata cœpit erogare pauperibus. Reuerſique ſunt in domum ſuam. Cum verò poſt menſes tres neceſſitate ſumptuū anguſtarentur, ait vir vxori ſuæ; Soror, nihil vt video daturus eſt nobis Deus Chriſtianorū ex debito illo, & nunc anguſtamur inopia: Reſpondit mulier, & ait illi, profectò dabit; vade, vbi illa dediſti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens abijt in ſanctā Eccleſiam, veniensq; in loco, vbi erogauerat numiſmata pauperibus, & circuiens totam Eccleſiam, neminem vidit qui ſibi debitum redderet, niſi ſolos pauperes denuo ſedentes. Cum ergo cogitaret in ſeipſo, cui diceret aliquid, vel a quo exigeret, aſpexit ante pedes ſuos in marmore iacere numiſma vnum ex illis, quæ pauperibus ipſe erogarat, inclinansq; ſe, & accipiens illud, abijt in domum ſuam, & ait coniugi ſuæ; Ecce profectus ſum in Eccleſiam, & crede mihi mulier, quia Deum Chriſtianorum non vidi, vt dixiſti, nullusq; mihi aliquid dedit, niſi quòd hoc numiſma ibi poſitum vidi, vbi ego prius erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis; Ipſe eſt, qui tibi hoc inuiſibiliter præſtitit. Ille enim inuiſibili poteſtate manus ſuæ diſponit hunc mundum. Sed vade domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rurſusque ipſe prouidebit nobis. Abijt ille, & emit ſibi panem, & vinum, & piſcem, & veniens domum dedit vxori. quæ accipiens piſcem cœ-

Inſignis & mirabilis Dei re

pit

pit ipſum purgare, exenteransque illum inuenit in viſceribus eius lapidem valde mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem: Non tamen ſciebat quid eſſet; ſeruatum autem oſtendit reuertēti viro, dicens; Ecce hunc lapidem in piſce reperi. Videns autem & ipſe miratus eſt quidem ipſius pulchritudinem, ignorabat tamē quid eſſet. Cum autem comediſſet, ait vxori: Da mihi lapidem, vt vadam, & vēdam illum ſi quid fortaſſis pretij de illo accipere contingat: Neque enim, vt dixi, nouerat & ipſe quid eſſet, vtpote ſimplex & rudis. Tulit itaque lapidem, & abijt ad trapezitam, cuius erat proprium talia emere & vendere, inuenitq; illum iam clauſis omnibus egredientem (ad veſperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille vero conſiderans lapidem, dixit ei: Quid vis vt tibi pro eo ſoluam? Ait autem ille: Da quicquid vis. Ad quem ipſe, Accipe, inquit, quinque numiſmata. Putans autem venditor quia illuderet ſibi, dicit ei: Et tantum vis pro illo perſoluere? Exiſtimans trapezita quod ita ille per ironiam loqueretur, ait ipſi: Accipe decem pro eo numiſmata. Venditor iterum ſe irrideri arbitrans, tacuit. Dixit illi trapezita: Viginti numiſmata accipe. Ille autem tacebat nihil reſpondens. Cum vero ad triginta, quadraginta, & quinquaginta numiſmata emptor aſcenderet, & ſe daturum ea iuramēto affirmaret, cœpit ille amplius lapidem æſtimare. Paulatim verò emptor aſcendens vſque ad trecenta numiſmata peruenit, deditque illa vendenti. Ipſe igitur, dato lapide, acceptaq; pecunia, venit ad vxorem ſuam gaudens. Quæ cum videret illum exultantem, dixit: Quanto illum vendidiſti? Putabat autē quòd illum quinque vel decem minutis vendidiſſet. Tunc ille trecenta numiſmata prôferens, dedit illa vxori ſuæ, dicens, tanto ſe illum vendidiſſe. Illa vero ſummam diuinæ bonitatis clemen-

munerātio & gratia erga hominem etiam gentilem.

Quantum est debitum? Quæ ait: Quinque auri libræ. Proferens autem aurum dedi illi, dicens: Ecce, Dei nutu non tetigi te. Da aurum, & redime virum tuum, & orate pro me. Deinde post aliquantulum temporis calumnia contra me conflata est apud Imperatorem, quòd commercij cuncta dissipassem. Mittens autem Imperator diripuit omnem substantiam meam, nudumque pertractum Constantinopolim, in carcerem misit. Vbi cum plurimum temporis egissem, solo vno vestimento, præter camisiam indutus, die quadam audio quòd Imperator me vellet occidere, Itaque de vita desperans plorabam. Flentem autem & eiulantem, sopor oppressit, vidique in somnis quasi mulierem illam, quæ aliquando virum habuerat in carcere, dicentem mihi: Quid est quod habes domine Mosche? Quare hic inclusus es? Me autem respondente: Calumniam perpessus sum, & puto, quia occidet me Imperator: Ait mihi: Vis vt loquar pro te Imperatori, & dimittet te? Ad quam ego: Nunquid ille cognoscit te? Ait, Vtiq; nouit. Expergefactus autem ambigebam, quid hoc esset. Astitit autem mihi secundò, & tertiò eadem repetens, & dicens. Noli timere, Ego te absoluam cras. Diluculo autem Imperatore iubente adduxerunt me in palatium. Cumque ingressus essem, ille, vt aspexit me putri & scissa indutũ tunica, dixit mihi, Ecce nunc tui misertus sum. Vade & emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam ad dexteram Imperatoris astantem, & dicentem mihi, confide, & noli timere. Iussitque Rex mihi vniuersa restitui, addensque mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faciens me præterea Locumtenentem. Ipsa igitur nocte apparuit mihi rursus eadem mulier, & ait mihi: Scis quæ sim ego? Illa sum, cum qua fecisti misericordiam, & propter Deũ non tetigisti corpus meum. Ecce & ego liberaui

raui te a periculo. Vides clementiam Dei, quo modo per me, cui fecisti misericordiam, apparuit tibi miseri cors, quasi dicens: Hoc propter me fecisti, & ego magnificaui misericordiam meam super te.

Cap. 200.

Aurificis adolescentis preclarum inuentum gratificū di CHRISTO deinde & premium.

NARRAVIT nobis quidam sanctorum patrum, quòd iuuenis quidam ingeniosus, se ad aurificem, pro discenda arte contulerit; quam dum solerter addisceret, vnus ex Patricijs iniunxit eis, vt Crucem auream lapidibus pretiosis ornatam facerent, quò illam Ecclesiæ offerret. Et quoniam valde ingeniosus erat adolescens, iniunxit illi magister eius id opus. Cœpit ergo adolescens cogitare intra se, ac dicere: Si iste tantas offert pecunias CHRISTO, cur non & ego mercedem meam in istam Crucem conferam, vt eam mihi, tanquam duo minuta viduæ, computet CHRISTVS? Cogitans igitur quantum mercedis esset accepturus, mutuatur id, & in crucem mittit. Veniens itaque Patricius, ponderat crucem priusquam in illa lapides includerentur, inuenitq; plus habere ponderis, quam constituerat. Cœpit itaque minitans vrgere adolescentem, quasi fraudem fecisset, aurumque adulterasset. Tunc ait illi adolescens. Nouit ille, qui solus cordium scrutatur arcana, quia nihil tale feci, sed cum viderem te tantum pecuniarū CHRISTO Domino obtulisse, cogitaui immittere mercedem meā, vt & ego partem habeam tecum, vtque me suscipiat CHRISTVS, quemadmodum duo minuta viduæ illius accepit. Stupefactus ille dixit iuueni: Itane fili cogitasti? Ait ille, Ita sanè. Patricius vero dixit illi: Quoniā ita cogitasti, totamq; voluntatē tuā obtulisti Christo volens habere partem mecum, ecce ex hodierna die suscipio te mihi in filium, hæredemque constituo. Et assumpsit eum secum, atque hæredem suum fecit.

NARRA-



ARRAVIT quidam patrum dicens. Ascendi aliquando Constantinopolim cuiusdam necessitatis gratia. Cumque in Ecclesia sederem, ingressus est quidam sæcularis maximè illustris, atque fidelissimus. Is cum aspexisset me, accedens salutauit cum omni charitatis officio, & post salutationem, sedit iuxta me, & cœpit interrogare de his quæ pertinent ad animæ salutem. Cumq; ego illi dicerem, quod his qui ritè terrena disponunt, cœlestia quoque donantur: Benè, inquit, pater dixisti. Nam verè beatus est, qui spem suam in Deum ponit, & se ipsum totum committit Deo. Et dicebat: Ego filius fui cuiusdam sæcularis, gloria clarissimi. Erat autem ipse pater meus eleemosynis maximè deditus, & plurima pauperibus distribuebat. Die ergo quadam vocauit me, & ostendit mihi omnes pecunias, dicens: fili quid tibi gratius est, vt dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placerent mihi quæ faciebat, respondi me CHRISTVM malle. Ista enim omnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non erunt; CHRISTVS autem manet in æternum. Quod ille cùm audisset; omnia iam liberè, & larga manu pauperibus erogabat, ita vt moriens pauca admodum mihi relinqueret. Ego autem iam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat. Erat autem alius quidam, diues valde, & primarius, habens vxorem fidelem Christo, & timentem Dominum: habebat autem & filiam vnicam. Dixit ergo illa viro suo, Hanc solam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus est Deus, Cuius ergo rei indiget? si quæsierimus dare illam alicui primario & diuiti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper. Quæramus illi virū humilem, & timentem Dominum, qui secundum Deum illam

Cap. 201.

Patris & filij concors voluntas in promerendo per eleemosynas CHRISTO; deinde fœliz successus.

illam diligat & foueat. Qui dixit illi: Rectè dixisti. Perge ergo in Ecclesiam, & ora intensissimè, atque illic reside, & qui primus ingressus fuerit, hic illi a Domino missus est sponsus. Fecit igitur vt iusserat vir eius. Cumque orasset, & sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa seruum suum continuò, accersiuit me, cœpitque interrogare, dicens: Vnde es? Ego autem dixi illi, Ex hac ciuitate sum, talis filius. Dixit autem mihi, illius eleemosynarij? Et dixi: Ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: Habes vxorem? Et dixi, Non. Narrauique illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ egó responderam ipsi. Illa verò glorificans Dominum, ait: Ecce bonus curator tuus misit tibi vxorem, & pecunias, vt vtaris vtrisque cum timore Dei. Deditque mihi filiam suam, & pecunias. Ego autem oro, vt patris mei viam vsque in finem teneam.

Cap. 175.



ARRAVIT nobis quidam patrum de Zenone Imperatore, dicens, quòd mulierem quandam in filia ipsius iniuriosè tractauerit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, orans eam, & deprecans, & cum lachrymis dicens. Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei Genitrix dicens: Crede mihi mulier, vltionem tuam sæpe facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors, & eleemosynas faciens.

Quidnam impediat ne Deus faciat vltionem aduersus peccatores.

Cap. 195.



VIT temporibus Theophili beatissimi Patriarchæ Alexandrini, Cyrene Episcopus Synesius Philosophus, qui cum venisset Cyrenem, reperit illic Philosophum quendam, Euagrium nomine, qui sodalis suus in studijs liberalibus fuerat, amicum


cum ſibi cariſſimum, ſed religione gentilem,& cultu-ræ idolorum maximè deditum.Eum Epiſcopus Syneſius ab idololatria transferre ad culturã Chriſti ſatagebat,curamque ingentem eius rei ſibi aſſumpſerat, pro charitate quam erga ipſum a principio habuerat. Ille verò minimè id patiebatur, neq; illius doctrinam admittere volebat. Epiſcopus tamen præ nimio ad illum amore,ne ſic quidem tædio victus deſiſtebat diebus illum ſingulis hortari & inſtruere,ac inducere vt Chriſto crederet,ipſiuſque ſacramenta ſuſciperet.Cumque illi quotidie iſta monita dare perſiſteret, dixit ad eum ſemel Philoſophus: Verè mi domine Epiſcope; cum cæteris quæ mihi diſplicent in Chriſtianis, hoc eſt, quòd cõſummationem ſæculi iſtius futuram dicunt, & poſt conſummationem, omnes qui ab initio ſæculi fuerunt homines,in iſto corpore reſurrecturos, carnemq; hanc incorruptibilem recepturos & immortalem,atq; ita in perpetuum victuros,ſicque eorum quæ in corpore geſſerunt,præmia percepturos:eum etiam qui miſeretur pauperi,fœnerari Deo; & qui diſpergit in pauperes & inopes,in cœlo ſibi theſauros reponere, & centuplicata,quæ erogauerit,in regeneratione, cum æterna vita a Chriſto eſſe reddenda. Quæ omnia cùm dicuntur,deceptio,& irriſio,& fabula mihi videntur.Epiſcopus autem Syneſius aſſeuerabat omnia Chriſtianorum vera eſſe,nihilque omnino habere falſum,vel veritati contrarium:idque multis documentis aſſerebat, & perſuadere illi nitebatur.Poſt multum verò temporis,cùm illum induxiſſet Chriſtianum fieri, baptizauit ipſum,& filios eius,cunctoſque domeſticos illius.Cæterum, non multò poſtea quàm baptizatus fuerat, dedit Epiſcopo auri tria centenaria in vſum pauperum, dicens:Accipe aurum iſtud, & diſtribue illud pauperibus, & fac mihi cautionem manu tua, quod Chriſtus

mihi ipſum reddet in futuro ſæculo. Qui ſuſcepto auro, promptè illi, vt petebat, cautionem fecit. Vixit itaque post baptiſmum annos aliquot Philoſophus, ac tandem infirmatus eſt ad mortem. Cùm verò morti proximus eſſet, dixit filijs ſuis: Quando curabitis funus meum, chartam iſtam in meis manibus ponite, & me cum illa ſepelite. Mortuo autem illo, fecerunt filij ſicut eis ipſe præceperat, ſepelieruntq; eum cum chirographo. Tertia verò poſt ſepulturam die, apparuit Epiſcopo Syneſio nocte quieſcenti, dicens: Veni ad ſepulchrum, vbi iaceo, & accipe chirographum tuum. Accepi enim debitum, ſatisfactumque mihi eſt: atque vt certior eius rei fias, propria me ſubſcripſi manu. Ignorabat autem Epiſcopus quòd chirographum illud conſepeliſſent ei. Mane autem facto, accerſitis filijs eius, dixit: Num aliquid cum patre veſtro in monumento poſuiſtis? Illi putantes quòd eos de pecunijs interrogaret, dixerunt ei: Nihil domine, præter pannos conſuetos. Quid igitur? Nunquid vel chartam aliquam conſepeliſtis ei? Tunc recordati illi (ignorabant enim quòd de chirographo diceret) dixerunt ei: Ita ſanè domine. Chartam enim quandam moriens dedit nobis, & ait, Quando ſepelietis me, chartã iſtam mihi in manibus date, nullo penitus ſciente. Tunc dixit illis Epiſcopus ſomnium quod nocte illa viderat, ſumenſq; illos cum clericis, ac primarijs ciuitatis, acceſſit ad Philoſophi tumulum. Quo aperto, inuenerunt iacentem Philoſophum, chirographũq; manu Epiſcopi conſcriptum ſuis manibus tenentem. Accipientes autem chirographũ ex illius manibus, aperuerunt, inueneruntq; in eo nouiter manu Philoſophi ſubſcriptum ita: Ego Euagrius Philoſophus tibi ſanctiſſimo domino Syneſio Epiſcopo ſalutem. Accepi debitum in his literis manu tua conſcriptum, ſatisfactumq; mihi eſt, & nullum

Quàm mirabilis Dominus in adimplendo quod promiſit eleemoſynã largientibus.

lum

lum contra te habeo ius, propter aurum quod dedi tibi, & per te Christo Deo & Saluatori nostro. Qui verò conuenerant, hoc videntes, obstupuerunt, & per multas horas clamauerunt Kyrieeleison; glorificantes Deum, qui facit mirabilia, talemq; ac tantam promissionum suarum euidentiam dat seruis suis. Afferebat autem & hoc idem dominus Leontius, cautionem illam manu Philosophi subscriptam seruari vsq; hodie, atque in sacrario sanctæ Cyrenensis ecclesiæ custodiri, & quicunque sacrarij custos ingredereretur, hanc illi cum cæteris vasis sacris assignari custodiendam cum omni diligentia, atque eum deinceps successori suo integram illam, inuiolatamque reconsignare.



NARRAVIT nobis Abbas Theonas, & Theodorus, quòd Alexãdriæ sub Paulo Patriarcha puella quædam relicta fuerat pupilla a parentibus magna facultate locupletibus Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis homo? Dixit autem ei. Dimitte me mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi, Die mihi causam, & fortassis iuuare te potero. Dixit illi, graui ære alieno premor, & valde suffocor a creditoribus, elegique potius vitam semel finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia quæ habeo, & redde; tantum ne perdas te ipsum: sumens verò ille, reddidit omnia. Puella ergo angustari cœpit, non habens qui sui curam gereret. Itaq, destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victũ quærere. Dicebant ergo uiri illi sancti: Quis nouit Cap. 107.

ista nisi solus Deus? quomodo scilicet permittatur anima propter causam aliquam ipsi soli cognitam ad tempus derelinqui? Post aliquantulum temporis infirmata est puella, & in se reuersa compuncta est, orauitq; Pontificem, vt faceret illã Christianam. Omnes autem aspernabantur eam dicentes: Quis hanc susci piat, quæ meretrix est? affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat, cui illa dixit. Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui, Qui ait: Nunquid reuera istud cupis? Respondit illa: Vtique domine, & deprecor te, vt hoc mihi impetres. Qui ait: Noli tristari. Ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo alios duos, & ipsos sanctos Angelos, duxeruntq; illam in Ecclesiam. Rursumque seipsos transformantes in personas quasdam illustres & notas, ex ordine Augustalium, vocant clericos, Presbyterum scilicet, & Diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis clerici. Vestra charitas pro ea pollicetur? Illi autem responderunt: Etiam, nos pro illa pollicemur: sumentes ergo illam baptizauerunt, & albis induta, rursus ab eis subucta est. Quam cum despoliuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam ita albis indutam viderent, postq̃ recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totã, dicens. Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam, locutiq; sunt clericis, & baptizauerunt me, & dixerunt ad eam: Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere qui essent, illi abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his qui ad baptizandum constituti erant. Vos illam baptizastis? Et confessi sunt se illam baptizasse, exoratos ab illo, & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex Prætorio his, quos clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi

Quomodo ethnica adolescentula ab Angelis ad clericos baptizanda adducta est, ab ijsq; de sacro fonte leuata, quæ antea in fiduem quandam fecerat eleemosynã.

ipsi pro ista fideiussistis? Qui dixerunt. Neque nouimus, neque conscij sumus nobis hoc fecisse. Tunc verò iam cognouit Episcopus Dei hoc opus esse. Conuocansque illam dixit ei: Dic mihi filia, quid gessisti boni? Quæ ait: meretrix existens, & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi Episcopus: Nihil ne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quod videns quendam, qui a creditoribus premebatur, se suffocare volentem, data illi omni substantia mea liberaui eum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

CAP. SECVNDVM.

Ex Metaphraste, Tomo VII. Vitarum Aloysii Lipomani.

Idē refert Ioānes Diacon⁹. Romanus in Vita S. Gregorij lib. 1. cap 9. & 10. & lib. 2. c. 23

Vita Sancti patris nostri Gregorij Papæ Romani.



Eatus Gregorius, qui sanctæ Dei ecclesiæ Romanæ Pontifex fuit, antequam fieret Patriarcha, monachus erat in monasterio sancti Andreæ Apostoli ad Cliuum Scauri prope templum sanctorum martyum Ioannis & Pauli. Atq; illi quidem monasterio ipse præerat. Matrem verò habuit beatam Syluiam, quæ tunc iuxta portam sancti Apostoli Pauli locum patrium, qui Cella noua dicitur, incolebat: Accidit, vt cùm in cellula ipse sua sederet, & scriberet, accesserit ad eum mendicus voce supplici: Miserere mei, inquiens, serue Dei altissimi, qui cùm essem nauis gubernator, naufragium feci, & aliena, meaque perdidi. At ille, vti benignus in pauperes, ac verè Christi seruus, vocato Procuratore, Da, inquit, frater, huic

Sancti Gregorij cleemosyna insignis

huic sex nummos aureos. Frater autē, id quod seruus Dei Gregorius mandauerat, fecit, mendicoq; pecuniam dedit. Eodem rursus die pauper idem ad beatum Gregorium venit, &, miserere mei, inquit, serue Dei altissimi, qui cum multa amiserim, parum abs te accepi. Beatus autem Gregorius, ministrum suumiterum vocauit, dixitq;, vt sex item nummos eidem pauperi numeraret. Ac frater quidem paruit: sed pauper, cùm acceptis duodecim nummis, discessisset, ad beatum Gregorium paulò post rediјt* eodem die; Miserere, inquiens, mei serue Dei altissimi, & aliquid rursum elargire, quoniam magnā iacturam feci. Procuratore tertiùm accersito, Da frater, inquit, huic pauperi sex alios nummos. At ille respondens: Crede mihi pater, inquit, ne vnus quidem in arca relictus est nummus. Cui beatus Gregorius: Nonne aliud quicquam habes in promptuario, vt vas aliquod, aut vestimentum, quod pauperi largiaris? Nullum, respondit ille, vas habemus, præter argenteum illud, quod magna domina, de more, leguminibus plenum misit. Abi, inquit seruus Dei Gregorius, atq; illud pauperi præbe. Frater autem fecit quod sibi a beato Gregorio mandatum fuerat. Pauper igitur, acceptis duodecim nummis, & vase argenteo discessit.

Ioannes Diaconus habet tertia die.

Cum autem in sanctissima, & maxima Dei Ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha, & quemadmodum Patriarcharum est consuetudo, quodam die Thesaurario mandasset, vt duodecim pauperes ad mensam suam conuocaret, qui secum pranderent; paruit ille, ac pauperes conuocauit, verum cùm discubuissent cum Patriarcha, depræhensi sunt esse tredecim: Quamobrē accersito Thesaurario: Nonne, inquit, mandaui tibi, vt duodecim vocares? Cur igitur tredecim vocasti, præter sententiam meam? His ille auditis perterritus, Cre-

Miraculum.

de,

de, inquit, mihi venerande domine, duodecim ſunt. nec alius quiſquam, præter Patriarcham, tredecim vidit. Inter prandendum igitur Patriarcha tertiumdecimum illum ſpectabat, qui in ſummo ſcamno conſidebat. Et ecce facies eius varias formas ſumebat. Modò enim ſenex, modò adoleſcens illi videbatur. Itaque cùm e menſa conſurrexiſſent, beatus Gregorius reliquis omnibus dimiſſis, tertiumdecimum illum qui tam admirandus ipſi viſus fuerat, manu apprehenſum in cubiculum duxit, & allocutus eſt ad hunc modum: Adiuro te per magnam omnipotentis Dei virtutem, vt aperias mihi, quis ſis, & quo nomine appelleris. Et ille Cur, inquit, nomen meũ quæris, quod eſt admirabile? Ego ſum pauper ille, qui ad te veni in manſionẽ ſancti Andreæ Apoſtoli ad Cliuum Scauri, cùm tu in cellula tua ſederes, ac ſcriberes, cui duodenos dediſti nummos, & vas, quod tibi beata mater tua Syluia, cum leguminibus miſerat. Itaque cum perſpicuum fuerit, te in cordis ſimplicitate, & patientia conſtantem permanſiſſe; ex quo die mihi hæc tribuiſti, conſtituit Dominus, vt Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, pro qua proprium etiam ſanguinem effudit, Pontifex fieres, & Petri principis Apoſtolorum ſucceſſor eſſes, vt poſſes omnibus, quod cuique opus foret, ſubminiſtrare. Vnde, beatus inquit Gregorius, Noſti tunc Dominum, vt ego Pontifex fierem, decreuiſſe? Quia, reſpondit, ſum Dei Angelus omnipotentis, idcirco id noui. Et tunc Dominus miſit me, vt animi tui propoſitũ explorarem, & vtrum humanitate ductus, an oſtẽtatione faceres eleemoſynã. Quo beatus Gregorius audito, timuit: neque enim antea, eum Angelum eſſe cognouerat, & ideo cum illo tanquã cum homine egerat, & locutus fuerat. Dixit autem Angelus ad Beatum Gregorium: Ne timeas, miſit enim me Deus, vt tecum verſer in hac vita.

Pontifex maximus creatus eſt D. Gregorius propter opera pietatis.

Nota.

Quod ille cùm audiſſet, humi proſtratus in faciem ſuam

suam, adorauit Dominum, si propter exiguam hanc, inquiens, ad promerendum animi propensionem tantum benignitatis cumulum clementissimus Dominus declarauit, vt Angelum suum mitteret, qui mei in perpetuum custos esset, quæ nam eorum futura est gloriæ magnitudo, qui mandatis eius obtemperabunt, & iustitiam colent? Verax enim est ille, qui dixit; Iudicio misericordiam præstare; & Deo fœnerari eum, qui pauperis miseretur. Quin etiam ipse Dominus Angelorum, qui salutis hominum auctor est, eos qui à dextris erunt collocati; sic alloquetur: Venite benedicti patris mei, paratam vobis a mundi constitutione suscipite regni hæreditatẽ. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, æger, & visitastis me, nudus & operuistis me, in carcere, & venistis ad me. Quatenus enim fecistis vni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis. Quam quidem beatam vocem vtinam audiamus nos omnes, qui hæc vel legimus, vel audimus: & consequamur ea bona sempiterna, quæ parauit Deus his a quibus diligitur: per gratiam, atque humanitatem Domini nostri IESV CHRISTI, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAP. TERTIVM.

CAPVT TERTIVM.

Ex vita S.Ioannis Eleemoſynarii per Leontium Epiſcopum Neapoleos Cyrorum Inſulæ, quam habes Tomo Secundo Vitarum Aloyſii.



AVCLERVS quidam peregrinus damna pertulit, & accedens hunc beatum virum,rogabat eum multis lachrymis, vt compateretur & ei ſicut omnibus alijs. Præcepitq; eum accipere quinque libras auri.Cumq; accepiſſet has, abiens emit antecham, ideſt arcam, & miſit in nauim. Mox accidit vt extra pharum naufragium pateretur, nauim vero non perdidit. Acceſſit iterum ad eum,de bona eius voluntate præſumens, & dixit, Miſerere mei, vt Deus mundi miſertus eſt. Cui ille Patriarcha dixit: Crede frater, niſi miſcuiſſes pecuniæ Eccleſiæ illas pecunias quæ tibi remanſerant, nullatenus naufragium pertuliſſes. De malis habuiſti eas, & perditæ ſunt cum eis, & quæ fuerunt ex bonis. Verum præcepit denuò dari ei decem libras auri, denuntians ei, ne commiſceret eis alias pecunias. Emens præterea antecham, & nauigans, vno die,vento valido flante,proiectus eſt in terram, & omnia perdidit, & ipſam nauim, & non ſunt ſaluatæ niſi animæ tantum. Voluit ergo præ confuſione, & anguſtia idem nauclerus necare ſeipſum, ſed Deus qui ſemper ſaluti hominum prouidet, reuelauit hoc beato Patriarchæ.Et cùm audiſſet quòd acciderat ei nunciat ei venire ad ſe, nihil omnino dubitans. Tunc aſperſit ſe puluere,& tunicam ſcindens, indecenter accedit ad eum.Cumq; vidiſſet eum in tali habitu

Scanni mutatio in argentum, cur, & quado:

ille sanctus, redarguit eum & dixit, misereatur tui Dominus. Benedictus Deus, credo ei, quòd ab hodierna die nequaquam naufragium incidas, vsquequo moriaris. Hoc vero tibi contigit, eo quòd & ipsa nauis tua, ex iniustitia esset possessa. Mox ergo iussit tradi ei vnã magnam nauim, plenam frumento viginti millium modiorum, de illis nauibus quae sanctissimæ Ecclesiæ subiectæ ministrabant. Quam recipens, exijt ab Alexandria & affirmabat ipse nauclerus, asseuerans, viginti diebus ac noctibus vehementi vento nauigauimus, non valentes omnino scire quò issemus, neq. per stellas, neq; per loca, excepto quòd gubernator videbat illum Patriarcham, secum tenentem temonem, & dicentem sibi: ne timeas, benè nauigas. Igitur post vigesimam diẽ apparuimus in Insulis Britanniæ, & descendentibus nobis in terram, inuenimus illic famem magnam. Cũ ergo dixissemus primo ciuitatis, quod frumentum portaremus, dixit: Benè Deus adduxit vos. Quicquid vultis eligite, aut per singulos modios numisma vnum, aut eiusdem ponderis accipite stãnum. Elegimus itaq; dimidium sic, & dimidium sic. Rem autem vadit dicere, sermo inexpertis munerũ Dei incredibilem quidẽ & sine fide; his verò qui experientiam miraculi eius habent, credibilem, atq; acceptam. Nam prætereà Alexandriam cum gaudio reuersi, quieuimus in Pentapoli, & asportauit nauclerus de illo stanno, vt venundaret illud. Habebat itaque illic antiquum socium in negotijs, petentem ex eodem stanno. Dat ei in sacco quinquaginta libras At ille volens probare speciem, si bona esset, soluit illud in igne, & inuenit argentum purum. Putauit se esse tentatum, & retulit ei saccuum dicens: Deus indulgeat tibi. Nunquid inuenisti me impostorem, idest iniquum erga te, quia argentum pro stãno dedisti mihi? Expauescens verò de sermone illo

nauclerus,

na uclerus dicit: Crede;ego pro ſtanno illud habeo. Si verò ille qui fecit de aqua vinũ, ipſe per orationes Patriarchæ fecit ex ſtanno argentum, nihil mirũ. Et vt ſatisfaciam, veni ad nauim, & videbis cætera iſtius metalle ſocia, quod accepiſti. Aſcendentes itaque, inuenerunt ſtannum argentum optimum factum, & non eſt peregrinum miraculum ophilo Chriſti. Qui enim quinque panes multiplicauit, & rurſus aquam Aegypti tranſmutauit in ſanguinem, & virgam in ſerpentẽ tranſmutauit, & tranſtulit flammam in rorem in multis ſanctis, facilius & hoc tam glorioſum miraculum operatus eſt, quatenus & famulum ſuum ditaret; & nauclero miſericordiam ſuam præſtaret. *Et poſtea,*

Arripit ille ſanctus & hoc, bonum dico, videlicet quo infimo ſtratu recumberet, & vilibus operimentis in cellula ſua vteretur. Quod cùm audiſſet quidam poſſeſſorum ciuitatis aſcendens ad eum, & videns quòd opertorio ſciſſo & laneo tegeretur, tranſmiſit ei coopertorium numiſmatum triginta ſex, rogans multum eũ vt eo cooperiretur ad memoriam mittẽtis. Ille verò hoc ſuſcipiens, propter multam viri poſtulationem, coopertus eſt hoc vna nocte, & per totam pene noctem dicebat ad ſemetipſum, vt recitabant cubicularij eius, Quis dicet, quòd humilis Ioannes (habebat enim ſemper verbum iſtud in ore) pallio triginta ſex numiſmatum tegatur, & fratres CHRISTI frigore necentur? Quanti ſunt modò, qui dentibus ſtrident præ glacie? quanti ſunt modò, qui pſiatum habentes ſubtus dimidium, & ſupra dimidium, & non poſſunt extendere pedes ſuos, ſed dormiunt vt glomus, trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & ſine lucerna, habentes duplicem cruciatũ, tàm ex frigore quàm ex ieiunio? Quanti deſiderant ſaturari de folijs olerum, quæ proijciuntur de coquina mea? Quanti vel- Inſigne aliud factum.

 lent

lent tingere panem suum in schemate, quod proiciũt coqui mei?Quanti cupiunt vel odorare vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in ciuitate ista in hac hora peregrini,non habentes vbi hospitentur,& in foro iacent,fortasse & pluuia madefacti? Quanti putas habent totum mensem,vel etiam duos non gustantes oleum?Quanti sunt qui non habent alterum uestimentum in æstate,& alterum hyeme, & ita miserijs affliguntur? Tu uerò expectans etiam æternã iucunditatem assequi,& uinum bibis,& pisces immanes deuoras,& in cubiculis demoraris, modò autem cum omnibus malis,& in coopertorio triginta sex numismatum te calefacis?Veraciter ita uiuens, & in tali laxatione conuersans,non expectabis illis præparatis gaudijs frui,sed audies utique quod & diues ille audiuit.Recepisti bona in uita tua, pauperes verò mala, nunc ergo consolantur,tu verò cruciaris. Benedictus Deus,humilis Ioannes alia nocte non cooperietur illo.Iustum est enim,& bene acceptum Deo, vt tegantur centum potius quadraginta quatuor fratres,& domini tui,quàm tu infelix. Venundabantur verò quatuor recanellæ numismate vno.Mox ergo transmisit illud in crastinum,vt venundaretur.Et videns is qui obtulerat,emit illud trigintasex numismatibus, & rursus obtulit Patriarchæ.Cùm verò in crastinum vidisset illud,emit hoc similiter,& rursus obtulit Patriarchæ, deposcens vt tegeretur ab eo.Cùm autem tertiò hoc fecisset,dicit ei gratulabundus ille sanctus: Videbimus quis deficiet,ego,an tu.Erat enim opulentus valde, & suauiter quasi vindemiabat eum ille sanctus, paulatim ab eo multa auferens.Et dicebat semper, quòd posset aliquis intentione dandi pauperibus, expoliare diuites,& ipsum etiam hypocamisum, idest vestimentum quod subter camisiam est,ab eis beneuolè auferre, &

non

non peccare; & maximè si sunt aliqui immisericordes; & auari. Duo enim lucratur talis vnum quidem, quia animas illorum seruat, alterum autem quoniam & ipse ex hoc mercedem non modicam habet. Attulit autem ad credulitatem verbi & testimonium verax, quod circa sanctum Epiphanium, & Ioannem Episcopum Hierosolymorum factum est, quomodo sanctus Epiphanius per artem tulit argentum Patriarchæ, videlicet Ioannis eiusdem, & dedit pauperibus.

De Petro Telonario.

Dignum & congruum prædicto capitulo referebat semel coram omnibus iste sanctus, dicens. Habebam, inquit, quendam ministrũ in apothe ca mea in Cypro, fidelem ualde, & uirginem usque ad obitum suum. Hic ergo narrabat mihi; quia in Aphrica existente me, facta est res huiusmodi. Permanebam enim, ait, cum quodam Telonario, diuite uehementer, et immisericordi. Semel ergo pauperibus in hyeme sedentibus ad solem, seque calefacientibus, cœperunt singuli domos eleemosynatorum collaudare, & pro eis orare per singulos eorum; similiter & domos eleemosynam nõ facientium, vituperare: Inter quæ venit in medium eorum & nomen senioris mei Telonarij, & cœperunt singuli interrogare proximum: Verè tu frater, accepisti aliquando de domo illa benedictionem? Et omnibus interrogantibus inuicem, nullus inuentus est accepisse aliquando de domo eius aliquid. Dicit ergo vnus ex eis. Quid dabitis mihi, & ego accipiam hodie ex eo benedictionem? Et facientibus cum eo pactum, venit, & stat foris portam domus, expectans quando ad domum suam reuerteretur. Ex dispensatione autem Dei peruenerunt simul, ipse ingre-

Exemplum dignum hortu.

ingrediens portam, & animal portans filigines à mancipio, causa prandij ipsius. Videns igitur egenum, non inueniens lapidem, per furorem arripit filiginem de clitella, & iactauit in faciem eius. Ille verò suscepit eam & abijt, vt satisfaceret confratribus suis, quòd ex eiusdem manibus accepisset eam. Itaq; post duos dies ægrotauit infirmitate ad mortem idem Telonarius, & vidit in somnis seipsum rationem ponêtem, & omnes actus suos super stateram apendi. In una quidem acie congregabantur Mauri quidam deformes, altera autem acies, aliorum quorundam erat candidatorum & terribilium specie. Qui nihil inuenientes boni, vt & ipsi appenderent e cõtra aduersum mala opera quæ collecta erant a Mauris, in acie ipsorum nimis turbabantur, & tristabantur, & mente consternabantur ad alterutrum, & dicebant: Ergo nihil nos hic habemus? Tunc dicit vnus eorum. Verè nihil habemus, nisi vnã filiginem, quam dedit ante duos dies CHRISTO, & ipsam non voluntariè. Et mittentibus eis filiginem, æqualitas facta non est. Tunc dicunt Telonario hi qui apparuerant ei candidati, Vade, & auge ad filiginem hanc, aliàs verè Mauri isti te apprehendent. Euigilans ergo, agnouit quæ visa sunt ab eo, non esse mendacia, sed vera. Omnia verò quæ à iuuentute sua cõmiserat, & quorum ipse erat oblitus, videbat Aethiopes illos congregare, & deportare ad libram, & dicebat: Papæ, si una filigo, quam iactaui per furorem, ita profuit, à quantis malis se liberat qui dat in simplicitate sua bona indigentibus? Et de cœtero ita modestus, & prudens, atque summus Eleemosynator factus est, vt etiã corpori proprio non parceret.

Contigit verò aliquando, secundum consuetudinem, procedere eũ diluculo ad Teloneũ, & obuiat ei nauta, quia naufragio nudus, vt natus est, euaserat, &

cecidit

cecidit ante eum, rogans vt protectionem apud eum impetraret. Ille ergo, putans quòd egenus esset, exspoliauit se esophorium suum, quod illius melius erat, & dat ei rogauitque eum, vt hoc ipse vestiretur. Pergens verò ille, & erubescens vestiri hoc, dedit illud venditori, vt venundaretur. Et cum recederet Telonarius, vidit hoc suspensum, & contristatus est vehementer, & ascendens domum suam, nihil passus est gustare, sed claudens ostium conclauis sui, sedebat plorans, & cogitans; quia non fui dignus vt mei memoriam haberet egenus. Cùm ergo anxiaretur, obdormiuit; & ecce vidit quendam speciosum tanquam solem ferentem crucem super caput suum; & esophorium quod dederat nautæ, assistentem sibi, & dicentem: Quid ploras domine Petre? (Hoc enim erat nomen) Ille verò dixit, vt ad Deum disputans: Quia Domine ex quibus largiris nobis, damus alicui, & in turpe lucrum uertunt accipientes. Tunc dicit ei, Cognoscis hoc? Et ostendens ei, quia deintus uestitus esset eius esophorio, dicit ei: Ecce ego illo uestior ex quo dedisti mihi hoc, & gratias ago voluntati tuæ bonæ, quoniam frigore affligebar, & tu cooperuisti me. Ad se ergo reuersus, admiratus est; & cœpit beatificare egenos, & dicere. Viuit Dominus, si inopes Christus meus sunt, non moriar, & fiam tanquam unus ex eis.

Accersito verò Notario suo, quem & emerat, dicit ei, secretum volo credere tibi, & crede, si propalaueris me, barbaris vendam te, aut si non audieris me. Dat verò ei decem libras auri, & dicit ei: Vade, & eme tibi negotium, & sume me, & duc in Sanctam Ciuitatem, & vende me cuilibet Christiano, & precium da pauperibus. Notario autem recusante, dicit ei iterū; Quoniam si me non vendideris, ego vendam te barbaris, vt prædixi tibi. Obediuit ergo ei Notarius, & perueni-

Telonarius curat vendi se ipsum, vt sit vnus è pauperibus Christi.

peruenientibus eis ad sancta loca, inuenit idem Notarius amicum suum carum, fabrum argentarium, qui damna inciderat. Ad locutionem verò venientibus ambobus, dcit ei Notarius: Audi me Zoile, & eme seruum vnum, quia habeo tàm bonum, vt dicat homo quòd Patricius sit. Et audiens argentarius quòd seruum haberet, admiratus est, & dicit ei: Crede mihi, quia non possideo vnde emere possim. Dicit ei rursum Notarius: accipe mutuum, & eme eum, multùm enim est bonus, & benedicet tibi Deus per eum. Acquieuit ergo ei, & emit eum sordidis vestibus indutum numismatibus triginta. Relinquens autem eum notarius, abijt Constantinopolim, sanctificans quod nulli hoc manifestaret, & quòd de pretio nequaquam sibi retinendo aliquid defraudaret, sed hoc tantùm pauperibus daret. Ergo aliquando idem Petrus coquinam faciebat domino suo, aliquando autem lauabat pannos eius, nunquam aliquando in quolibet horum assuetus. Afflixit autem seipsum & ieiunio multo. Cùm verò vidisset se benedici dominus eius super omnem benedictionem, dicit ei, verecundatus enormem eius virtutem, & humilitatem. Volo humilis Petre liberare te, & vt sis de reliquo frater meus. Ille verò noluit. viderat enim eum frequenter conuicia perferre, & percuti à conseruis suis. Habebant autem eum tanquam amētem, ita vt & nomen ei imponerent amentis. Quotiescunque ergo tribulabant eum conserui sui, & dormiebat in tribulatione, apparebat ei qui in Aphrica illi apparuerat, vestitus esophorio eius, tenens & illa triginta numismata in manu, dicens ei: Noli mœstus esse frater Petre, ego suscepi & precium tui; sed sustentadum cognoscaris.

Post aliquod verò tempus venerunt à patria eius quidam argenti uenditores, vt orarent ad loca sancta, & in

& inuitauit eos ad prandium dominus domini Petri; & cum ministraret, statim ille cognouit eos. Ipsi autem dum pranderent, cœperunt affigurare eum, & inuicem ad aures dicere, quam similis est puer iste domino Petro Telonario? Ille verò occultabat, quantum poterat, vultum suum. Iterum ergo comedentibus eis, cœperunt dicere ad eum qui eos inuitauerat: Verè putamus, res tibi magna euenit domine Zoile, etenim, nisi erramus, publicam personam in ministerio tuo habes: neq; sciebāt certius, quia erat de coquina & ieiunio cōmutatus vultus eius. Diu igitur considerantibus eum, dicit vnus ex eis: Verè dominus Petrus Telonarius est; surgam, & tenebo eum, valde enim Imperator audiens tristatur de eo, quia dudum non cōparuit.

Foris itaque stans audiuit hæc, & ponens catinum a se, non est ingressus, sed recto cursu cucurrit ad portam. Erat itaque ei, qui eum tunc habebat, ostiarius mutus, & surdus a natiuitate, qui per nutū tantùm aperiebat, & claudebat. Festinans ergo seruus Dei exire, dicit surdo & muto, Tibi dico in nomine Christi Ille verò audiuit statim, & dixit: Etiam domine. Iterum verò ille ait; Aperi. Respondit mutus & surdus secūdò. Ego domine. Statim ergo surrexit, & aperuit ei, Et exeunte eo, subiit ostiarius, & clamauit coram omnibus gaudēs & exultans, quia audiuit, & loquutus est, Domine, Domine. Porro omnibus qui in eadem domo erant perterritis, quoniam audiebant eum loquentem, iterum dicit ille quondam mutus. Ille, qui coquinā faciebat, exiit currens, sed videte ne forte fuga lapsus sit, magnus enim seruus Dei est: quando discedebat, dixit mihi: Tibi dico in nomine Domini. & mox vidi de ore eius exeuntem flammam, & tangentē aures meas, & statim audiui, & locutus sum. Et exilientes, & sequentes eum cuncti, vlterius non viderunt eum. Tunc pœnitentiam omnes agebant, qui in domo illa erant,

& ipse dominus eius, qui Petrum emerat, quia in tali exhonorantia humiliassent eum, & maximè hi qui vocabant eum Amentem.

Hæ sunt beatissimi à Deo honorati Ioannis Patriarchæ narrationes. Non solum enim de vita sua contentus erat volentem proficere ædificare, verùm etiam de Deo acceptis, & veracibus relationibus suis; & dicebat semper hæc audientibus: Si proprio sanguini nō pepercerunt quidam hominum, sed hunc dederunt in manus fratrum, immo CHRISTI, quomodo putas nos cum alacritate, & humiliate debemus de facultatibus nostris dare CHRISTO, & egenis atque pauperibus, vt recompensationem recipiamus à iusto, & mercedum redditore Deo in illa timenda & horrenda retributionis die? Qui nunc seminat parcè, parcè & metet & qui seminat in benedictionibus, idest largè & magnanimiter, multipliciter & metet, hoc est, bona illa hæreditabit quæ omnem mentem transcendunt.

De Sancto Serapione.

S. Serapionis Sindonij eximia erga pauperes charitas.

OMnibus ergo rectis moribus iste sanctus adornatus, nec hoc carebat, valde enim diligebat eloqui de actibus sanctorum patrum, & eorum qui eleemosynæ cultores fuerunt. Vnde cum vna dierum recitaret de vita Sancti Serapionis, qui vocabatur Sindonius, & inueniret eum (vt fertur) amictum suum dedisse egeno, & iterum paululū processisse illinc, & frigus patienti obuiasse, & illi tunicam præbuisse, & quia nudus sedebat tenens Sanctum Euangelium, & interrogatus à quodam, Quis te expoliauit Abba? demonstrans Sanctum Euangelium, ait, iste. Et alio tempore hoc ipsum Euangelium vendidisse, & dedisse eleemosynam. Et Discipulo suo dicente, Abba, Euangelium vbi est? & illo dicente ad eum, Crede fili, qui dixit mihi,

Pulchrum responsum.

vende

vende quæ habes, & da pauperibus;ipſum vendidi, & dedi eis, vt in die iudicij habeamus fiduciam abundantiorem apud Deum. Et quia alias iterum vidua mulier petijſſet ab eodem Sancto Serapione eleemoſynam, quoniam eſuriebant filij eius, & non habente eo aliquid omnino,tradidit ſe ei,vt venderet eum ad mimos Græcos, quos & Chriſtianos fecit in paucis diebus. Hæc legens Sanctus de Sancto Serapione dicit ad eos Væ væ o philochriſti, quid prodeſt homini colloquenti de actibus Sanctorum patrum? credite mihi,quia vſque hodie putabam quòd vel aliquid facerem, datis, quas habere poſſum,pecunijs;neſciebam autem quòd & ſe ipſos vēderēt quadā cōpaſſione ſuperati. *Et poſtea.*

Quod in actibus Apoſtolorum audiuimus factum, hoc frequenter & huic compatientiſſimo accidebat. Vidētes enim multi indeſinentem eius, & inſcrutabilē circa egentes compaſſionem, mouebantur multoties ad vendenda multa de ſubſtantijs ſuis, & ferentes præbebant Dei deuoto miniſterio. Vnde & quidā veniens vna dierum,offerebat ei ſeptem libras auri & dimidiā, ſatisfaciens ſancto, quòd non poſſideret aliud aliquid in auro. Petebat autem ab eo cum multis genuflexionibus, vt oraret quatenus Deus filium eius ſaluaret. Habebat enim vnum ſolummodo filium quaſi annorum quindecim, vt reduceret nauim eius cum bono ab Aphrica, illuc enim abierat. Accipiens igitur ſummus ſacerdos quantitatem auri de manu eius (miratus eſt enim tam eſſe magnanimum ad offerendam totam quantitatem auri, quam poſſidebat) orauit quidem & in facie multum, & ſic eum dimiſit. Tamen propter eius multam fidem, poſuit ſubtus ſanctam menſam ligaturam quantitatis auri Patriarcha, in oratorio cubiculi ſui, & ſynaxim fecit ſtatim perfectam ſuper eam, pro illo qui hanc obtulerat, ſa-

Nota exitum huius hiſtoriæ.

tis abundèq; Deum rogans quatenus & filium eius saluaret,& nauem cum salute reduceret, secundum quod fuerat postulatus ab illo. Necdum ergo triginta transactis diebus,defunctus est filius hominis illius, qui obtulerat septem libras & dimidiam Patriarchæ, & in tertia die mortis pueri, recepit & nauim suã ab Aphrica,in qua erat & frater germanus eiusdem viri creditor. Et veniens iuxta forum, retulit quomodo nauis naufragium pertulit,& perdiderit totum quo erat plena,& quod non essent saluatæ nisi animæ, & vna scapha vacua. Cùm ergo & hunc casum didicisset euenisse sibi dominus nauis,& pater pueri, secundum verbum Prophetæ,paulominus in inferno habitauit anima eius.Nondum enim tribulator filij sui extincta cõprehendit eum & nauis. Relata sunt itaque omnia quæ acciderãt ei,Patriarchæ,& pene plus,quàm is qui hæc perpessus fuerat, in tristitia morabatur, maximè propter filium eius vnicum.Nesciens ergo quid faceret,rogat misericordissimum Deum,vt consolaretur virum immensa pietate sua.Conuocare enim eum, & consolari in facie sanctus erubescebat; veruntamen mandauit ei,vt nullatenus desperaret, neque enim sine iusto iudicio Deum facere aliquid, sed omnia in hoc quod nos ignoramus.Ergo vt non perdat mercedem quam fecit in septem & dimidia libra auri, & fidem quam possidebat circa sanctum Patriarchã; iam verò vt & nos in tentationibus quæ nobis eueniunt, quando aliquid boni fecerimus, imperturbati, & gratias referentes ad Deum permaneamus;vidit in somnis iam dictus vir philochristus posterá nocte quendã, quasi in habitu sanctissimi Patriarchæ, dicentem sibi: Vt quid tribularis frater,& mœrore dissolueris? Nonne tu me rogasti vt peterem à Deo,vt saluus fieret filius tuus?Ecce saluus factus est. Crede mihi,si viueret,

Quæ nos vt incommoda dolemus quo modo in sum

prauus

prauus,& immundus homo fieret;& de naui tua, verè nisi Deus placaretur pro bono quod fecisti paruitati meæ,sententia erat data,quatenus tota vt iacet, cum animabus in profundum pergeret,& perderes fratrem tuum. Sed surge,& glorifica Deum,qui dedit tibi eũ, & saluauit filium tuum mundum de hoc seculo vano. Euigilans itaque vir inuenit cor suum consolatũ, & vniuersam tristitiam eius eiectam,& indutus vestimenta sua, venit cursim ad honorabilissimum Patriarcham,& iactat se ad pedes eius,gratias agens Deo, & ei,& narrans visionem,quam viderat. Quam audiens iustissimus,dixit:Gloria tibi benigne & misericors Deus,qui & deprecationem peccatorum exaudis. Iterum que ad hominem dixit: nequaquam o fili gratiã hanc orationi meæ ascribas,sed Deo,& fidei tuæ;hæc enim omnia ista impetrare valuit. Erat enim valde de se humiliter sentiens sanctus,verbis scilicet atq; prudentia.

mo lucro põnere sæpe debemus.

Pergebat aliquando hic beatus ad visitandos pauperes,in locum,qui dicitur Cæsarium (illic enim eis fecerat quasi tholos quosdam prolixos, ligneis tabulis pauimẽto strato,ad requiescendos eos, & simul cũ storeis & racis per totam hyemem)quodam eorum eunte secum Episcoporum,qui cum eo erant amatore pecuniæ,possibili modo presso. Dixitque beatus Patriarcha ad eũ: Ama,ac honora frater Troile fratres Christi(hoc enim ei erat nomen) nunciauerant enim quidam Patriarchæ,quòd triginta libras auri portaret in ipsa hora domesticus eiusdem Episcopi Troili, vt emeret speciem argenti anaglyphi,gratia mensæ suæ. Episcopus autem iãquam veritus sermonem Patriarchæ, imo ad horam calefactus,singu'a dari omnibus fratribus præcepit ei qui triginta libras illas portabat. Celeriter ergo huiusmodi auri quantitas erogata est. Recedentibus itaque vtrisque,Patriarcha scilicet, & qui inuitam (vt ita dicam)eleemosynam fecerat,Episcopo Troilo,

Troilo, in proprijs Epiſcopijs, velut quædam amens, & animæ periculoſa in eum cogitatio irruit propter pecuniarum dationem Horroris, & amoris pecuniæ, & crudelitatis & negligentiæ genimen eum ſequebatur, febre extra naturam mixta: propter quòd ægrotus inuitus in lectum cecidit. Hebdomadario ergo à Sanctiſſimo Patriarcha ad eum veniente, & ad menſam eiuſdem Patriarchæ eum inuitante, recuſauit; frigore enim, & febre ſe vexari pro quadam cauſa dicebat. Igitur cum hoc audiſſet Patriarcha, mox agnouit cauſam, quia propter exitum triginta librarum infirmatus eſt ille inuitus eleemoſynator. Erat enim (vt prædictum eſt) valde immiſericors, & amator pecuniæ. Non ſufferens ergo Beatus ſe quidem ſuper menſam reficere, illum autem ſuper lectum cruciari grauiter, peruenit celeriter ad eum, ille verè ſine ſuperbia; & dixit ad eum hilari vultu. Fac charitatem fili Troile. Aeſtimas quod in veritate dixerim tibi fratribus huiuſcemodi dare; crede mihi, per iocum dixi tibi dare. Ego enim volui præſtare eis ſingula numiſmata propter ſanctam feſtiuitatem, ſed quia non habebat diſtributor meus ſecum ſufficientem quantitatem, huius rei gratia mutuam dediſti eam mihi, & ecce attuli tibi illas triginta libras. Vt verò vidit quantitatē Epūs amatorpecuniæ,in honorabili manu ſapiētis medici:& paſtoris,febris quidē ſubitò diſparebat, frigus etiā recedebat,fortitudo quoq; & corporis eius calor ad eū reuertebantur,vt ex hoc non poſſet latere hāc eſſe cām repente cōprahendentis eū commutationis. Suſcipiens verò aurum ab honorandis manibus Patriarchæ, & nihil omnino contradicens, expectabat ab eo Patriarcha conſcriptionem abrenunciationis mercedis earum, quę datæ ſunt, triginta auri librarum. Fecit autem hoc cum gaudio Troilus Epiſcopus

Inuiti eleemoſynatoris caſus.

pus scribens proprijs manibus ita. Deus, domino meo Ioanni Beatissimo Patriarchæ huius Alexandrinorum magnæ ciuitatis, da mercedem triginta librarum, quæ datæ sunt tibi, quoniam ego recepi mea. Hoc scriptum itaque Sanctus accipiens, sumpsit secum & eundem Episcopum ad prandium, vt enim iam dictum est, statim sanus factus est.

Volens ergo mercedis redditor Deus corripere eũ, simul autem & ad miserationem contribulatorum, & compassionem erigere, ostendit ei eadem die dormiẽti post prandium Patriarchæ in somnis, qua mercede priuatus esset. Vidit enim (vt ait) domum cuius pulchritudinem, atque magnitudinem non potest ars hominũ imitari, & ianuam huius totam auream, & super ianuã titulum conscriptum. Mansio æterna, & requies Troili Episcopi. Cùmque hoc, inquit, legissem, gauisus sum, sciebam enim donandam mihi ab Imperatore talis domus epulationem. Nondum autem huiusmodi tituli superscriptionem perlegeram, & ecce quidam regius cubicularius habens secum & alios obsequij diuini, & cùm peruenisset ad talem nitentis domus ianuam, dixit ad proprios officiales, deponite titulum istum. Et cùm deposuisset, iterum dixit: mutate eum, & ponite quem misit orbis terrarum Rex. Et attulerunt, & affixerunt aliud, aspiciente me, superscriptum ita, Mansio æterna, ac requies Archiepiscopi Alexandriæ empta libris triginta. Et cùm hoc vidisset, surrexit à somno, & magno summoque pastori quæ visa sunt ei in somnis enarrauit. Proficiens ea de causa Troilus Episcopus factus ex tunc Eleemosynator magnificus. *Et postea.*

Visio, quæ Episcopo Troilo apparuit, vnde & factus est magnus eleemosynator.

Districtus quidam ab his, qui pensionem exigebant, cùm non haberet quod daret, erat enim regio in magna difficultate, eo quod fluuius Nilus secundum consuetudinem non irrigaret aquis terram, ipse abiẽs depre-

deprecatus est ducem quendam magnatorum, vt mutuas sibi daret quinquaginta libras auri, & dicebat se dare pignora, si vellet, dupla. Repromisit ergo dux dare ei, ad præsens verò distulit. Exactoribus verò constringentibus eum, vadit & ipse ad portum, à quo cuncti recipiuntur, videlicet ad mitissimum, & dignum admiratione Patriarcham. Et nondum pene propriam necessitatem enarrauerat, & dixit sanctus ad eum. O fili si volueris, & quo vestior, indumentum. Etenim cum ad mirabilibus suis bonis & hoc possidebat, quòd non poterat videre aliquem de necessitatibus lachrymantem, & non statim se proprijs irrigaret lachrymis; vnde & mox petitionem volentis ab eo mutuum accipere adimpleuit Et sequenti nocte videt dux, quod staret super altare quidam, cui offerebant multi oblationes, & per vnam, quāponebant, accipiebāt centū pro ipsa de altari Erat autem & Patriarcha post tergum eius. Iacebat ergo vna oblatio ante eos in vno scamno, & dicit quidam duci. Vade domine dux, & accipe oblationē illam, & offer ad altare, & tolle pro ea centum oblationes. Illo verò pigritante, cucurrit Patriarcha, licet post eum staret, & tulit hanc ante eum, & obtulit, & accepit, sicut omnes, centum de altari. Euigilans itaque nō poterat discernere somnium. Misit autem, & adduxit eum qui volebat mutuum accipere, vt præstaret ei. Et cùm venisset, dicit ei dux. Accipe quod petisti mutuū. Respondens illi dixit ei. Ante tulit mercedem tuam dominus Patriarcha. Etenim te domino, differente me, compulsus sum ad illum, tanquam ad portum confugere, multa enim erat vis inquietudinis exactorū. Cùm ergo audisset hoc dux ille, statim recordatus est somnij, & dixit: Verè benè dixisti: ante tulit mercedem tuam. Ante tulit enim, & væ illi qui vult facere borū, & differt, & ennarrauit omnibus somniū, quod viderat.

Quomodo aliqui sine dilatione bene facientes accipiunt coronas, quas alij lucrari potuissent.

Et postea, Audiens aliquando cuiusdā eleemosynatoris puerū orphanum derelictum, parentibus ipsius morientibus; & in multa paupertate cōuersari hunc. Dicebāt enim hi qui in testamento patris eius inuenti sunt testes, quia non dimisit ei, domine, pater eius moriens vsque ad vnum numisma; sed habens decem libras auri, adducit eum ipsa hora, quando testamentum scribebat, & dicit ei: Has decem libras habe fili mi. Quid vis? dimittā tibi istas, an vis Dominam meam Dei genitricem curatorem, & prouisorem? Puero verò eligēte sanctam Dei genitricem, præcepit dari cuncta pauperibus. Et ecce, inquiunt, sanctissime, in multa inopia consistit, nocte ac die domum dominæ nostræ non deserens. Cum ergo hæc audisset a sciētibus sanctus hic, nemini aliquid dicens, adducit quēdam tabellionem, & narrabat ei rem, dans ei terminum vt nulli crederet quam præcepit ei facere rem, dicens ei: Vade, & in veteribus chartulis scribe testamētum nomine Theoponti, & fac in eadem charta, me & patrem pueri, consobrinos fratres, & vade, & dic iuueni. Scis frater, quod genus existens Patriarchæ, non debueras ita in paupertate versari, & ostende ei chartam, & dic. Quoniam si erubescis, ego ordino causam tuam apud Patriarcham; & vide quid tibi dicet. Cum ergo omnia quæ iussa sunt ei a Patriarcha, tabellio fecisset, venit ad eum dicens, quia pactus est puer mihi, vt ego loquar causam suam domino, & magnas gratiarum actiones referebat mihi. Dixit verò sanctus: Vade, & dic ei, quia locutus sum Patriarchæ; Et dixi, quoniam & ego scio, quia habuit consobrinus meus filiū, sed ex vultu hunc non recognosco: Bene ergo facis, adducens hunc ad me. Adducens ergo eum, portat & chartam secum. Cùm verò peruenissent, tulit eum secretò ille iustus, & cœpit deosculari eum, & dicere: Bene venit filius consobrini

Puer qui Beatissimā Virginem elegit potius curatricem, quā ingentem pecuniæ summā & quid ei cōtigerit.

ſobrini mei. Ditauit igitur eũ, & vxorẽ tradidit in Alexandria, & domum, & omnia quibus opus habuit donauit ei, demonſtrare feſtinans, quoniam non derelinquet Dominus ſperantes in ſe. *Et poſt pauca.*

De Abbate Vitalio.

SEnex quidam magnus, quaſi annorum ſexaginta, audiens tales res beati, voluit tentare eũ, ſi poſſet verbis ſuaderi, & ad ſcandalum facile inclinari, & vt cõtingit, ſi condemnaret aliquem. Et habitãs prius in monaſterio Abbatis Seridonis, exijt, & venit Alexandriam, & ſumit conuerſationem hominibus quidem reprehenſibilem, ſed Deo gratam, qui dat (vt ait Dauid) ſingulis ſecundum cor eorum. Ingrediens itaque ciuitatem, ſcribit omnes quæ notæ erant meretrices, & cœpit laborare opuſcula, & accipere per ſingulos dies ſiliquam vnam. Cum ergo occumberet ſol, manducabat, & intrabat ad vnam meretricem, & dabat ei æreos nummos, & dicebat. Dona mihi noctem iſtam, & noli fornicari. Et manebat iuxta eam nocte illa, obſeruans eam ne fornicaretur. Stabatque à veſpere in vno angulo cellulæ, vbi dormiebat mulier, pſallens & orans pro ea, & mittens genuflexiones vſque ad auroram; & exiens, accipiebat verbum ab illa quòd nulli diceret actionẽ eius *et cæt.*

Nota mirabiles potius quàm imitabiles charitatis modos.

Deprecabatur ergo, vt quibuſdã poſt mortẽ eius in ſomnis manifeſtaret Deus de ſe, vt nõ imputaretur in peccatũ his, qui ſcandalizabantur in eum, eò quòd rẽ quam agebat, dicerent ſcandalo eſſe plenam, & nõ haberet homo peccati iudicium ex ea, quicquid locutus fuiſſet. Multas igitur de talibus mulieribus, in compunctionem induxit hæc operatio eius; & maximè quando videbant eum nocte extendentem manus, & orantem

tem pro vnaquaque earum, à fornicatione cessabant: quædam verò recipiebant viros, & pudicè conuersabantur; quædam verò & modis omnibus mundum relinquentes, singularem vitam ducebant. Nullus tamen sciuit vsque ad eius dormitionem, quòd ipsius admonitione & oratione, impudicæ mulierculæ à fornicatione cessarent. Vnde quodam die, exeunte eo à prima talium mulierum diluculo, obuiat ei quidam homo immundus, intrans ad fornicandum cum ea, & cũ vidisset Sanctum Vitalium ex ea egrediẽtem, dedit ei alapam in faciem, dicens ad eum: Vsquequo pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitijs tuis? Qui dixit ad eum. Crede mihi, accipies alapam a me humili, vt tota Alexãdria colligatur ad clamores tuos.

Nondum breui tempore transacto, dormiuit cum pace in cellula sua Sanctus Vitalius, nemine sciente omnino. Habebat enim valde pusillam cellulam super locum qui dicitur Porta solis. Vnde & plerunque cùm collecta celebraretur iuxta cellulam eius in ecclesia matre, conuenientes quædam muliercularum harum, ad alterutras dicebant. Eamus, eamus, iterum Abbas Vitalius collectam habet, Et venientibus eis, curabat eas. Igitur dormiente eo, vt prædictum est, in propria cellula, & nullo sciente, mox quidam dæmon tanquam æthiops deformis, astat ei qui dederat alapam Abbati Vitalio, & dat ei alapam, dicens. Suscipe alapam, quam misit tibi Abbas Vitalius. Et cadens, statim cœpit spumare. Congregata est igitur secundum prophetiam Vitalij penè tota Alexandria in violentiam quam patiebatur a dæmone, & maximè quia sonitum datæ alapæ audierunt quidam, quasi ad vnius iactum sagittæ. Post aliquantas verò horas in mentem rediens is qui patiebatur, scidit vestimenta pectoris sui, & cucurrit ad cellulam, clamans & dicẽs.

Culpam feci tibi serue Dei Vitali, miserere mei. Cucurrerunt verò cum eo omnes audientes. Cùm peruenisset ad cellam Sancti, exijt iterum dæmonium, iactans eum, omnibus aspicientibus. Et cùm ingrederentur intro hi qui cum eo cucurrerunt, inuenerunt sanctum stantem in geniculis suis, & orantem, & animam Domino tradentem, & in pauimento scripturam huiusmodi. Viri Alexandrini nolite ante temqus aliquid iudicare, quoad vsque veniat Dominus. Confitebatur verò & homo qui a dæmonio vexabatur, quod sancto fecerat, & quod dixerat sanctus ei. Recitata sunt ergo beatissimo Ioanni Patriarchæ omnia quæ circa Sanctum Vitalium acta sunt, & descendens cum clero venit ad corpus S. Vitalij, *&c.* Tunc itaque omnes fornicariæ, & quæ abrenuntiauerant ex eis, & viros susceperant, cum cæreis, & lampadibus præibant eum flentes, & dicentes: Perdidimus salutem, & doctrinā. Enarrabant enim iam conuersationē eius omnibus, & quoniam non propter turpem rem ad nos intrabat, & quia nunquam aliquando vidimus eum super latus dormientē, aut vnā ex nobis tenētē manu sua. *Et post nonnulla.*

Non indicandum esse ante tempus.

Nota.

Vnus interrogatus a sancto respondit ita; Crede mihi domine, quia nihil do aut facio boni, veruntamen ipsum quod facio, & præbeo, ex quibus & orationes tuæ largiuntur, ita facere assueui. Eram prius valde immisericors, & crudelis, & semel damna pertuli, & ī subtilitatem deueni: cœpit autem cogitatio mea dicere mihi. Verè si esses eleemosynator, non relinqueret te Deus. Statui ergo per singulos dies dare quinq; æreos nummos pauperibus: & cum cœpissem dare, statim satanas prohibebat me dicens: Verè quinque nummi isti sufficiunt domui tuæ ad holera, aut ad balneū percipiendum; & statim, tanquam sic de faucibus natorū meorum priuarem eos, nihil dabam. Cùm verò vidissem

Quomodo quinque ære is nummis quotidie in eleemosynā datis quidam peccata vitebat

sem

sem qu d superarer à vitio,dico puero meo,per singulos dies furare me nesciente quinque nummos, & da eleemosynam (Sum ego enim trapezita domine).Ille verò benefaciens cœpit furari denarios. Erat autem aliquando & siliqua.Cùm ergo vidisset,quia benediceabamur,& diuitijs abundabamus,cœpit & semisses furari & dare.Semel itaque admirãs benedictiones Dei dixi ei·Verè multum profuerunt fili quinque nummi illi:volo ergo vt des decem.·Tunc dicit mihi & puer subridẽdo:Vade,ora pro furtis meis.Nam verè hodie non haberemus,quem manducassemus panem, sed si est fur iustus,ego sum.Tunc ergo dixit,quoniam semisses dabat,& siliquas,& iam ex fide illius,assueui domine,ex animo dare.Aedificatus ergo sanctus valde,dixit ad eum:Crede mihi multas conuersationes patrũ legi,tale aliquid non audiui.

CAPVT QVARTVM.

Ex vita S. Marciani Presbyteri, qui fuit Oeconomus magnæ Ecclesiæ Costantinopolitanæ, per Simeonem Metaphrastem apud Aloysium Lipomanum Tomo quinto Vitarum Sanctorum Patrum.



MNIBVS autem conuenientibus, noui quidem templi, vt par est, encænia celebrabantur, & dies quoque, quo ipsa Martyr. [*Anastasia*] certamen consummauit,ipso in quam Decẽbre. Vocabant aũt ad encænia,& fideles Imperatores,& sacrum Senatũ,& vniuersam (vt semel dicã) ciuitatem. Oportebat autem qui latebat Marcianum, eo die videri

antemediũ.

Qua mpulchrum vestimentum,virtus & charitas.

deri qualis esset moribus, qualis virtute, & quantum se vltra mandata extendebat.

Nã cũ tota concurreret ciuitas,& egentes vna cum ea quodã pacto attraherentur,pauper quidã accedens ad hunc virum egregium(ij enim exquirũt,ac discunt benignas & clementes animas,nõ secus atque ij qui laborant,medicos)Accedens ergo respexit ad eius dexteram,& petijt vt acciperet aliquod medicamentũ famis. Ille autem(tunc enim nihil gestabat in sinu, sed reuera habebat intra animæ sinum,benignitatem multam & clementiam)cùm remotus fuisset ab omnibus, & locum aspexisset valde latentem, nullo autem alio nisi vna tegeretur tunica(quod quidem fuit ei tota vita familiare, vt duabus non vteretur tunicis) cùm sic se haberet vir diuinus,& si facile erat, excusando egestatem,repellere supplicationem(nam quod nihil portabat testes habebat omnia intuentes oculos)ille per inde ac si non daret,fieri non posset,vt non Deo afferret molestiam,cùm se ea ipsa qua sola indutus erat veste exuisset, dat egenti;prompto & alacri animo, & de cætero habebat solam vestem sacerdotalem,& penulam quæ corpus contegebat,quam etiam vndequaque contrahens,cupiebat quantum fieri poterat, latere,& id quod factum fuerat omnium celare oculos.

Postquam autem fuerunt intra ædem sacram,ei autem diuinum celebrare sacrificium iussit primus sacerdotum:Ille quidem penulam similiter contrahebat, & complicabat,cupiens vt diximus rem latere. Qui autem aderant,& vnà cum eis Pontifex, cùm oculos in eum defixissent,vident quoddam nouum & arcanum miraculum,& propemodum ijs solum credibile qui aspexerunt,vident eum intus indutum eximia quadã veste regia,& auro nitenti intertexta,quæ tunc etiam magis apparebat in manibus,quãdo eos qui accedebant

bant, diuino corpore impertiebat. Hæc videntes, alij quidem apud se mirabantur, alij autem alijs quoque enunciabant, nonnulli quidem ut admirantes, nonnul li verò (vt est uerisimile) etiam inuidentes. Qui etiam ad ipsum Pontificem Gennadium accedentes, tanquā existimantes eum nescire quæ eum scire maximè uolebant, ei renunciant. Deinde ei etiam conabantur detrahere, & mouebant calumnias aduersus beatam illam animam. Et ille, seipsum quoque dicebat uidisse, modū autem ignorare, & se reuera de eo dubitare.

Postquam autem a Marciano fuit impositus finis sacrificio, eum accersit Patriarcha, & eum seorsum conueniens, de ueste reprehendit, dicens eam magis Imperatoribus conuenire quàm sacerdotibus. Ille autem magis animi dubius, quàm is qui dubitabat, procidit ad pedes illius, & in eos multas fundens lachrymas, negabat omnino id quod dictum fuerat, & dicebat, deceptos fuisse eius oculos. Tale quid enī uel solū co gitasse, aperta est insania. Ad hæc Patriarcha (stultum enim existimabat, & a ratione apertè alienum, proprijs non credere oculis) manu propria statim tangens, relaxat ipse penulam simul cum ueste sacerdotali: & de cætero miraculum videbatur, & dicebatur. Nam illa quidem aurea, quæ paulò ante uidebatur tunica, nusquam erat, nudus autem sanctus uidebatur, sicut erat, exceptis his indumentis sacerdotalibus, nudus inquā, qui uerè aureis uirtutis tunicis, quæ sub aspectum non cadunt tegebatur. Hoc Pontificem quidem adduxit in admirationē, in admirationem autem adduxit etiam Imperatores, cum iam fama ad eos per uenisset.

Cap. Quintum.

CAP. QVINTVM.

Ex Cap. 1.

Ex Libello Innocentii III. de Eleemosyna.

Multiplex eleemosynæ vtilitas.



Leemosyna quidem est, indigenti pietatis intuitu subuenire: cuius quantus sit fructus scriptura sacra demõstrat. Nam eleemosyna mundat, [2] eleemosyna liberat, [3] eleemosyna redimit, [4] eleemosyna protegit, [5] eleemosyna postulat, [6] elemosyna imperat, [7] eleemosyna perfecit, [8] eleemosyna benedicit, [9] eleemosyna iustificat; [10] eleemosyna resuscitat, [11] eleemosyna saluat.

Audi de singulis exempla per ordinem, & ordinare ad exempla per singula, vt fructum eleemosynæ cõsequaris.

I. Date, inquit Dominus, eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Ecce qualiter eleemosyna mundat.

II. Raphael angelus ad Tobiam. Bona est inquit oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere: quoniã eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Ecce qualiter eleemosyna liberat.

III. Daniel autem dixit ad Nabuchodonosor: Placeat tibi consilium meum Rex, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.

IIII. Tobias verò quia pergens per omnem cognationem suam diuidebat vnicuique prout poterat de facultatibus suis, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis sepulturam solicitus impendebat, cùm Rex iussisset illum occidi, fugiens nudus

dus latuit, quia multi diligebant eum. Ecce qualiter eleemosyna protegit.

V. Absconde inquit eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te: quia ignem ardentem aqua extinguit, & eleemosyna resistit peccatis. Ecce quali ter eleemosyna postulat.

VI. Cornelius autem Centurio vir religiosus, & timens Deum, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper, vidit in visu manifestè Angelum Dei dicentem sibi: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectũ Dei. Ecce qualiter eleemosyna impetrat.

VII. Dominus quoq; dicit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum multum in cœlis. Ecce quomodo eleemosyna perficit.

VIII. Anno tertio, dicit Dominus, separabis aliã decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas, venietque leuites qui aliam non habet possessionem tecũ, & peregrinus, & pupillus, ac vidua, qui intra portas sunt, & comedent, & saturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris. Ecce qualiter eleemosyna benedicit.


VIIII. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi: cornu eius exaltabitur ĩ gloria. Ecce qualiter eleemosyna iustificat.

X. Cum Tabita, quæ plena erat eleemosynis, & bonis operibus, obijsset, circumsteterunt Petrum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas, & vestes, quas faciebat eis: qui ponẽs genua orauit, & dixit: Tabita surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit. Ecce qualiter eleemosyna resuscitat.

XI. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ec-

ce dimidium bonorum Domine,do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui,reddo quadruplũ; Ait Iesus ad eum: Quia salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahę. Venit enim filius hominis quærere, & saluare quod perierat.Ecce qualiter eleemosyna saluat.

Cap.2. Alij plures eleemosynæ effectus.

VNT quoque & alij eleemosynę effectus, quos ex subiectis testimonijs poteris cognoscere.Quid ergo solicitus quæris,cur anxius inuestigas,quid faciendo promerearis vitam æternã? Dominus in iudicio pietatis opera commendabit,pro quibus ipse misericordibus regnum largietur æternũ.

Venite,inquit, benedicti patris mei,possidete regnũ vobis paratum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.Sitiui,& dedistis mihi bibere.Hospes eram,& collegistis me. Nudus & cooperuistis me. Infirmus,& visitastis me. In carcere, & venistis ad me.Amen dico vobis,quamdiu fecistis vni de minimis his fratribus meis, mihi fecistis. Beati enim misericordes,quoniam ipsi misericordiam consequentur.Nam in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.Diues ille,qui induebatur purpura,& bysso, & epulabatur quotidie splendidè,quia non est misertus mendico nomine Lazaro, qui iacebat ad ianuam vlceribus plenus,cupiens saturari de micis,quæ cadebant de mensa diuitis,& nemo illi dabat, mortuus est; & sepultus in inferno.Vnde cum ipse post mortem misericordiam implorasset,Pater,inquiens,Abraham miserere mei,& mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam,vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma:misericordiam obtinere nõ potuit,quoniam ante mortem misericordiam noluit exhibere.Propter quod Abraham illi respondit: Fili recordare

cordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala:nunc autem hic consolatur,tu verò cruciaris.Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, Seruus ille, qui noluit misereri conseruo suo,sicut dominus fuerat illi misertus, traditus est tortoribus,quoadusque debitum redderet vniuersum.Sed & diuiti illi,qui cogitabat ampliare horrea,& illi vberes fructus congregare,Dominus ait:Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te,quæ autẽ parasti,cuius erunt?hic est qui thesaurizat sibi,& non est diues in Deum.Propterea Dominus præcepit: Vendite quæ possidetis,& date eleemosynam. Facite vobis sacculos,qui non veterascunt,thesaurum non deficientem in cœlis.Et alibi.Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,vt cum defeceritis,recipiant vos in æterna tabernacula.Idem in lege mandauit:Si vnus de fratribus tuis,qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quã dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit,non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum,sed aperies eam pauperi.Itẽ: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ:idcirco præcipio tibi,vt aperias manum fratri tuo egeno,& pauperi qui tecum versatur in terra.Nam iuxta Ioannis Apostoli testimonium. Qui habuerit substantiam huius mundi,& viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo,quomodo charitas Dei manet in eo?Huius mandati memor erat, qui executor beatus Iob,dicens:Oculus fui cœco,& pes claudo, pater eram pauperum,& miserentium consolator. Si negaui quod volebãt,pauperibus,& oculos viduæ expectare feci.si commedi buccellam meam solus, & nõ comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio,& de vtero matris meæ ingressa est mecum.Si despexi prætereuntem,eò quòd non habue

rit indumentum,& absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est *&c.* Hinc ait Dominus per prophetam. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum,& carnem tuam ne despexeris. Audisti præceptum ad meritum, audi promissum ad præmium. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & salus tua coram te orietur,& anteibit faciem tuam iustitia tua,& gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis,& Dominus exaudiet:clamabis,& dicet; ecce adsum. Item cùm effuderis esurienti animam tuam,& animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi dominus tuus semper, *&c.* Commendatur vidua Sareptana pro eo quòd pauit Heliam. Et ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecytus olei non est imminutus, vsque in diem qua dedit dominus pluuiā super terram, Commendatur Abdias qui centum prophetas quinquagenos & quinquagenos abscondit, & pauit. Vnde liberatus ab igne, donari meruit spiritu prophetiæ. Coommendatur hospitalitas in Abraham & Loth, qui etiam Angelos hospitio receperunt. Commendatur in Maria & Martha, quæ ante sex dies Paschæ fecerunt cœnam Iesu. Commendatur in duobus discipulis euntibus in Emaus, qui in fractione panis Dominum cognouerunt. Paulus Apostolus collectas faciebat in gentibus, vt eas mitteret sanctis in Hierusalem. Attende quòd Dominus non tàm fecit diuites propter pauperes, quàm pauperes propter diuites: quia plus proficit pauper diuiti, quàm diues pauperi. Diues enim dat pauperi eleemosynam temporalem: pauper autem retribuit diuiti mercedem æternam. Vnde Salomon. Fœnerátur Domino, qui miseretur pau-

peri

peri,& viciſſitudinem reddet ei. Et alius item ſapiens: Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit, & poſtea reſurget,& retribuet illis retributionē, vnicuique in caput illorum.ſuper ſcutum poteſtatis,& ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit. Attēde quoq; quòd in cæteris rebus, quæ carius diligitur,diligentius cuſtoditur;Qui verò plus diligit eleemoſynam eam amplius elargitur.Tale quidem eſt debitum charitatis,quòd quantò plùs ſoluitur,tantò magis debetur. Porro cum eleemoſynam das in terra, reponis illam in cœlo, & cùm eleemoſynam alteri tribuis,eam tibi cuſtodis.Vnde per eleemoſynam ſic alij præſtas ſubſidium, quòd tibi comparas meritum;ſic ſubuenis alteri, quòd proficis tibi. Nihil de rebus temporalibus vniuerſis tecū ex hac vita portabis,præter eleemoſynam ſolam, quā per manus pauperum præmittis in cœlum.Nihil enim vt dicit Apoſtolus intulimus in hunc mundum, haud dubium,quia nec auferre quid poſſumus. Nudus ait alius egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.Cùm autem pauperibus erogas, theſaurizas in cœlis;teſte veritate, quæ dicit: Theſaurizate vobis theſauros in cœlis,vbi fures nec effodiūt,nec furātur; vbi nec ærugo,nec tinea demolitur. Quid ergo gratius,aut quid carius eleemoſyna,quæ non deſerit dantem,cùm cætera deſerant retinentem?In illo, cui datur,ſitim extinguit,famem expellit, nuditatem operit. In eo verò qui dat,reatum extinguit,culpam expellit, operitque peccatum.O quàm digna recompenſatio,vt pro eo quòd eleemoſyna nuditatem corporis tegit, in alio,iniquitatem mentis tegat in te. Beati enim quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Vera

Ex cap. 3. paulò post initium.

Eleemosynæ origo quæ



Era eleemosyna de vera charitate procedit: nã secundum charitatis mandatum hoc est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ad quod pertinet illud: Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Sicut ergo volumus nobis ab aliis in nostris necessitatibus subueniri, sic & nos debemus aliis in suis necessitatibus subuenire, vt sicut nos, ita proximos diligamus. Nisi enim ramus eleemosynæ de charitatis radice procedat, non habet pinguedinem, vel humorem, vt suauem vel maturum fructum producat. Nam vera eleemosyna fructus est charitatis. Caritas enim operit multitudinem peccatorum. De qua veritas ait: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Eleemósyna, quæ de charitate procedit, ipsa profectò mundat à vitiis, & redimit à peccatis. &c.

Ex Cap. 4.

Melior est eleemosyna, quàm ieiunium aut oratio.



ONVM ést ieiunium, sed melior est eleemosyna, quia quod ieiunium subtrahit, eleemosyna tribuit, alioquin quod ieiunium subtrahit voluptati, reponit cupiditati. Qui vero dat eleemosynam, quodcumque sibi subducit, alij totum impendit: per ieiunium enim affligitur caro propria; per eleemosynam verò reficitur aliena; illud præstat esuriem, ista verò satietatem procurat. Rursum bonum est orare, sed melius erogare: quoniam eleemosyna agit vtrumque, descendens ad proximum, & ascendens ad Deum. Audi super hoc sententiam sapientis. Conclude eleemosynam inquit in corde pauperis, & ipsa pro te orabit ad Dominum. Non enim desistit orare qui non desinit bene agere; cum melius sit orare opere quàm sermone.

ANDA est Eleemosyna, non ex tristitia, sed cum hilaritate, non cum mora, sed cum velocitate, iuxta quod docet Apostolus, dicens: Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: Hilarē enim datorem diligit Deus. &c. Porro bis qui dat, qui cito dat; vnde ne differas bene facere, quia spes quæ differtur affligit animā: cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti: ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas pauperi perrige. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni nō te prætereat: memor esto quia mors non tardabit, vnde sine dilatione fac bonū dum potes, quia forte cum volueris facere bonum non poteris, & in tuis bonis alius luxuriabitur. &c. Noli ergo bonū quod concepisti differre, quoniam a mane vsque ad vesperam mutabitur tempus, & mens rapitur in diuersa; Nec dimittas illud exequendum hæredi: quia vix tibi laudem, nedum mercedem rependet, &c.

Ex cap. 5. Non procul a principio.

Cùm Hilaritate danda est eleemosyna.

Non relinquendū exequendum heredi, quoddā dum est pauperi, & cito.

In fine.

Eleemosyna, quæ datur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta magnam præstat fiduciam apud altissimum: & ipsa contra omne periculum salutis est medicina.

CAPVT SEXTVM.

Ex Gregorio Turonensi.

EMPORE Sancti Sydonij magna Burgundiam fames oppressit. Cumque populi per diuersas regiones dispergerētur, nec esset vnus qui pauperibus alimoniam largiretur, Erdicius, vnus ex senatoribus, Hunnis propinquis magnam tunc rem in

Lib. 2. Hist. Cap. 24.

Deo

Deo confisus fecisse perhibetur. Nam inualescente fame, misit pueros suos cum equis, & plaustis per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui hac inopia vexabantur, sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes, quotquot inuenire potuerunt, adduxerunt ad domos eius, vbi eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fueruntque (vt multi aiũt) plùs quã quatuor millia promiscui sexus. Adueniente autem vbertate, ordinata iterum reuectione, vnumquemque in locum suum restituit: Post quorum discessum, vox ad eum de cœlis lapsa peruenit, dicens. Erdici, Erdici, quia fecisti hanc rem, tibi, & semini tuo panis nõ deerit in sempiternum, eò quòd obedieris verbis meis, & famem meã refectione pauperum satiaueris. Quem Erdicium miræ fortitudinis fuisse multi commemorant. nam quadam vice multitudinem Gotthorum cũ decem viris fugasse perscribitur: *&c.*

Ex vita S. Paulini Nolani Episcopi.

In gloriã cõfessorum. Cap. 107. paulò post initium.



Quadam die venit ad eũ [*Paulinum*] qui stipem peteret, & ait cõiugi: Vade, & da ei quod habet necessariũ. Quæ respondit: Nõ est nobis amplius, quã vnus panis. Cui ille: Vade inquit porrige eum, Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa quasi strenua reseruare cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea aduenerunt quidam dicentes missos se a dominis suis, vt illi annonæ, ac vini deferrent speciem, sed pro hoc se moratos, quòd orta tempestas vnam eis cum tritico abstulerit nauem. Tunc vir Dei conuersus ad mulierem ait: Intellige te illi pauperi unum panem fuisse furatam, & ideo hanc nauem esse mersam. *&c.*

Quod

QVod autē narrabo, quodā loco in portu maris gestum fuisse multorum confirmat relatio. Quidā pauper senex sacculis oneratus uenit ad litus maris,& accedens ad portam,petere eleemosynam a naucleris cœpit,atque illi qui primus in naui erat importunior assistebat,dicens,Da mihi aliquid.Tunc ille cōmotus ait.Absiste quæso decrepite, & noli a nobis quærere quicquam : nihil enim hic aliud præter lapides habemus. At ille ait : si lapides dicis esse quæ in tuis ditionibus nauis hæc continet,omnia vertantur in lapides. Et statim cunctum nauis onus, quod mandi potuit, in saxum conuersum est. Ego enim ex his & dactylos vidi,& oliuas aspexi marmore duriores.Nam cum in lapidis duritiam conuersa fuissent, nunquam tamen colorem, quem habuerunt, perdiderunt,sed eadem forma,eademque species erat.Dominus autem nauis pœnitentia motus,inquisitum senem nunquam potuit reperire. Et sicut ferunt, per multas ciuitates,quæ in saxum mutata fuerant, ad videndum direxit, vt scilicet exemplū essent omnibus,ne similia perpetrarent.Ecce quid agens impudens auaritia?fecisti hominem pauperem,qui non porrigendo pauperi putauit se posse fieri ditiorem. Cap. 108.



VM autem Iustinus,iam præamisso sensu amens effectus fuisset.&per solam Sophiam Augustam eius imperium regeretur, populi Tyberium Cæsarem elegerunt,vtilem,strenuum,atque sapientem;eleemosynarium, inopumque optimum defensorem. Qui cū multa de Thesauris quos Iustinus aggregauit,pauperibus erogaret,& Augusta illa eū frequentius increparet,quòd Rempublicam redegisset in paupertatem,diceretque: Quod ego multis annis congre Lib. 5. Hist. Cap. 39.

Sapiens Imperatoris responsum, aduersus eos qui nimiam liberalitaté erga pauperes ei obijciebant.


gaui, tu intra paruum tempus prodigè dispergis, Arebat ille: Non deerit fisco nostro; tantum pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de eo quod Deus dedit, congregemus thesauros in cœlo, & Dominus nobis dignabitur augere vel in sæculo: Et quia, vt diximus, magnus, & verus christianus erat; dum hilari distributione pauperibus opera præstat, magis, ac magis ei Dominus subministrauit. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream in qua crux Dominica erat sculpta, & ait: Cruce tua Domine frontem nostram munimus, & pectora, & ecce Crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citius iussit eam auferri. Defossaque tabula, atque erecta, inueniunt subtus & aliam hoc signum habentem; Nunciantibusque iussit, vt & aliam auferrent. Qua amota, reperiunt & tertiã, iussuque eius & hæc aufertur. Ea verò ablata inueniũt magnum thesaurum, habentem super mille centenaria auri. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius quàm consueuerat, subministrabat, nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate eius. Quid autem ei Dominus in posterum transmiserit, non omittam. Narses ille Dux Italiæ, cùm in quadam ciuitate domum magnam haberet, Italiam cum multis thesauris ingressus, ad supra memoratam vrbem aduenit, ibique in domo sua occultè cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri, argentique reposuit; eaque, interfectis conscijs, vni tantummodo seni per iuramentum condita commendauit. Defuncto vero Narsete, hæc sub terra latebant; Cùmque supradictus senex huius eleemosynas assiduè

Quot Deus suppeditat Eleemosynarijs.

cerneret

cerneret, pergit ad eum, dicens: Si mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Cæsar edicam. Cui ille, Dic ait, quod volueris, proderit enim tibi, si quicquam nobis profuturum narraueris Thesaurum, inquit illi, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequuntur attoniti. Peruenientesque ad cisternam, & deoperientes eam ingrediuntur; in qua tantum aurū, argentūque reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à deportantibus. Ex quo ille hilariori erogaatione dispensauit egenis.

Exercitusque eius Persas debellauit, victorque regressus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. Ex fine c. 30.



HOmo erat in Antiochia valde deuotus in eleemosynis, coniugem ac liberos habens, nec vnquam ei in omni vita sua dies præteriit, postquā quiddā propriū habere cœpit, in quo sine pauperibus epulum prælibasset Hic vna die cùm circuisset vrbem vsque ad vesperum, & reperire non potuisset egenum, cum quo cibum capere posset; egressus extra portam, cum nox irrueret, reperit virum in veste alba cum duobus aliis stantem, quem aspiciens quasi Loth ille antiqua memoratus historia, territus ait. Et forsitan peregrinus est dominus meus? Dignetur cum sociis accedere ad domum serui sui, & sumpto epulo, quiescere in strato; mane autem proficiscemini viam, quam volueritis. Cui ille qui erat senior, tenens sudarium in manu sua, ait: Non poteris o homo Dei hanc vrbem seruare, ne subuertatur. Et eleuans manum excussit sudarium,

Ex libro 10. Hist. cap 23. Non longe a principio.

Antiochensis egregia pietas.

quod tenebat, ſuper medietatem vrbis: & ſtatim corruerunt omnia ædificia, & quodcunque ibi ſtructum fuit, ibique oppreſſi ſunt ſenes cum infantibus, viri cũ mulieribus, atque vterque ſexus interijt. Quod ille cernens, tam de perſona viri, quàm de ſoni vehementia hæbes effectus, ruit in terram, & factus eſt velut mortuus. Eleuanſque iterum vir ille manum cum ſudario quaſi ſuper aliam medietatem vrbis, apprehenſus eſt a duobus ſocijs, qui cum eo erant, atque obſecratus terribilibus ſacramentis, vt indulgeret medietati vrbis, ne rueret. Mitigato igitur furore, ſuſtinuit manum ſuam, atque eleuans hominem, qui corruerat in terram, ait: Vade ad domum tuam, ne timeas, filij enim tui cum vxore, & omni domo tua ſalui ſunt, nec quiſquam ex eis perijt. Cuſtodiuit enim te oratio aſſidua, & eleemoſynæ, quas quotidie exerces in pauperes. His dictis, diſceſſerunt ab oculis eius, nec ei apparuerunt vltra; Ille autem reuerſus in vrbem, reperit vrbis medietatem dirutam, atque ſubuerſam, cum hominibus, pecoribusq; ex quibus nõnulli à ruinis deinceps extracti ſunt mortui, Pauci debilitati reperti ſunt viui. Veruntamen nec illa caſſa fuerunt, quæ viro huic ab ipſo (vt ita dicam) Angelo Domini ſunt enunciata; nam veniens, omnem domum ſuam incolumem reperit. Tantum funera propinquorum, quæ in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur. Protexit verò eum in medio iniquorum dextera Domini cum domo ſua, ſaluatuſq; eſt a periculis mortis, velut memoratus Loth quondam in Sodomis.

Caput ſept-

CAPVT SEPTIMVM.

Ex Gregorio Pontifice.



PIPHANIVS diaconus Isauria pro uincia exortus, in vicina factum terra Lycaoniæ solet narrare miraculum. ait enim, quod in ea quidam, Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasterium tendebat, cui spiritalis pater præerat. Pergens itaq; leprosum quendam, quem densis vulneribus elephantinus morbus per mẽbra fędauerat, inuenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso vero itinere se habere perhibebat hospitium, quo idẽ Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei eiusdem leprosi lassitudini misertus, pallium, quo vestiebatur in terram protinus proiecit & expãdit, ac desuper. leprosum posuit, eumque suo pallio vndique constrictum, super humerum lauauit, secumque reuertens detulit. Cumque iam monasterij foribus propinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis vocibus clamare cœpit: Currite, ianuas monasterij citius aperite, quia Frater Martyrius venit Dominũ portãs. Statim verò vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet redemptor humani generis, Deus & homo Christus Iesus, ad cœlum Martyrio aspiciente, rediJt, eique ascendens dixit: Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. Qui sanctus vir, mox vt est monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit: Frater Martyri, vbi est quem portabas

Homilia 39. in euangelia non procul a fine.

Miraculum insigne Martyrii, quæ se leprosum portasse credidit & Christum Dominum portauit.

bas

bas? Cui ille respondens dixit: Ego, si scissem, quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cùm eum portasset, pondus eius minimè sensisset.

Ex lib. 1. Dial. Cap. 9. in principio. Magnum miraculum vini acceti, quod erogabatur in pauperes.



Vit vir vitæ venerabilis, Bonifacius nomine, qui in ea ciuitate quæ Ferentis dicitur, Episcopatus officium tenuit, & moribus impleuit. Huius multa miracula, is, qui adhuc superest, Gaudentius præsbyter narrauit, qui nutritus in eius obsequio tantò valet de illo quæq; veracius dicere, quantò eis contigerit, & hunc interesse. Huius Ecclesiæ grauis valde paupertas inerat, quæ bonis mentibus esse solet custodia humilitatis, nihilque aliud ad omne stipendiũ, nisi vnam tantummodo vineam habebat: quæ quodã die, ita grandine irruente vastata est, vt in ea paucis in vitibus vix parui, rariq; racemi remansissent, quam cũ Dei prædictus vir reuerentissimus Bonifacius Episcopus fuisset ingressus, magnas omnipotenti Deo gratias retulit, quia in ipsa sua adhuc inopia sese angustiari cognouit. Sed cùm iam tempus exigeret, vt ipsi quoque racemi, qui remanserant, maturescere potuissent, custodem vineæ ex more posuit, eamq; solerti vigilantia seruari præcepit. Quadam verò die mandauit Constantio præsbytero nepoti suo, vt cũcta vini vascula in episcopio, omniaque dolia, ita, vt ante consueuerat pice superfusa præpararet. Quod cùm nepos illius præsbyteri audisset, valde admiratus est, quasi insana præciperet, quòd vini vascula præparari faceret, qui vinũ minimè haberet, nec tamen præsumpsit inquirere cur talia iuberet, sed iussis obtemperat, & omnia ex more præparauit. Tunc vir Dei vineam ingressus racemos collegit, ad calcatoriũ detulit, omnesque exinde egredi præcepit, solusque ibi cum vno paruulo puerulo remansit

mansit, quem in eodem calcatorio deposuit, & calcari ipsos paucissimos racemos fecit. Cùmque ex eisdem racemis parum aliquid vini deflueret, cœpit hoc vir Dei suis manibus in paruo vase suscipere, & per cuncta dolia, omniaque vasa, quæ parata fuerant, pro benedictione diuidere; vt ex eodem vino omnia vascula vix infusa viderentur. Cùm verò ex liquore vini parum aliquid in vasis omnibus misisset, vocauit protinus præsbyterum, iussitque pauperes adesse. Tunc cœpit vinum in calcatorio crescere, ita vt omnia, quæ allata fuerant pauperum vascula impleret. Quibus cùm se idoneè satisfecisse conspiceret, ex calcatorio iussit puerum discedere, apothecam clausit, atque impresso sigillo ptoprio, munitam reliquit; mox ad Ecclesiam redijt. Die uerò tertia, prædictum Constantium præsbyterum uocauit, & oratione facta, apothecam aperuit, & uasa, in quibus tenuissimum liquorē infuderat, ubertim uinum fundentia inuenit, ita ut pauimentum omne excrescentia uina inuaderent, si ad hæc Episcopus tardius intrasset. Tunc terribiliter præsbytero præcepit, ne quousque ipse in corpore uiueret, hoc miraculum cuiquam indicaret: pertimescens uidelicet, ne uirtute facti, fauore humano pulsatus, inde intus inanesceret, unde foris hominibus magnus appareret, exemplū magistri sequens, qui ut nos ad uiam duceret humilitatis de semetipso discipulis præcepit, dicēs, ut ea quæ uidissent nemini dicerent, quousque filius hominis à mortuis resurgeret. *&c.*

Alio quoque tempore, prædictus Constantius præsbiter nepos eius equum suum duodecim aureis vendidit, quos in propria arca ponens, ad exercendū opus aliquod discessit. Tunc subito ad Episcopum pauperes venerunt, qui importune precabantur, vt eis sanctus vir Bonifacius Episcopus ad consolationem suæ ino-

Insigna miraculum, vnde etiā quare aliqui ad aleatores dignitatis non promouentur declaratur.

piæ

piæ aliquid largiri bebuiſſet. Sed vir Dei, quia, quid tribueret, non habebat, æſtuare cœpit in cogitatione, ne ab eo pauperes vacui exirent. Cui repente ad memoriam redijt, quia Conſtantius præsbiter nepos eius equum, quo ſedere conſueuerat, vendidiſſet, atq; hoc ipſum in arca ſua precium habere. Abſente igitur eodem nepote ſuo acceſſit ad arcam, & pie violentus clauſtra atcæ, comminuit, duodecim aureos tulit, eoſque indigentibus. vt placuit, diuiſit. Itaque Conſtantius præsbyter reuerſus ex opere arcam fractam reperit, & Caballi ſui precium, quod in eam poſuerat, non inuenit. Cœpit itaque voce magna perſtrepere, & cum furore nimio clamare: Omnes hic viuunt, ſolus ego in domo hac viuere non poſſum. Ad cuius nimium voces venit Epiſcopus, omnesque, qui in eodem epiſcopio aderant. Cumque eun locutione blanda vir Dei temperare voloiſſet, cœpit ille cum virgio reſpondere dicens: Omnes tecum viuunt, ſolus ego autem hic viuere ante te non paſſum; reddere mihi ſolidos meos. Quibus vocibus commotus Epiſcopus beatæ Mariæ virginis eccleſiam ingreſſus eſt, & eleuatis manibus, extenſo veſtimento, ſtando cœpit orare, vt ei redderet vnde præsbiteri furentis inſania mitigari potuiſſet. Cumq; ſubito oculos ad veſtimentum ſuum intera extenſa brachia reduxit, repente in ſino ſuo duodecim aureos inuenit; ita fulgentes tanquam ſi ex igne producti eadem hora fuiſſent. Qui mox de eccleſia egreſſus eos in ſinum furentis præsbiteri proiecit, dicens: Ecce habet ſolidos, quos quæſiſti, ſed hoc tibi notum ſit: quia poſt mortem meam in huius eccleſiæ epiſcopum non eligeris, propter tuam auaritiam. Ex qua ſententia veritatis colligitur, quia eoſdem ſolidos præsbyter pro adipiſcendo Epiſcopatu præparabat. ſed vir Deo ſermo præualuit; nam idem Cōſtantius in præsbyteratus

byteratus officio vitam finiuit. *& post nonnulla.*

Sed quid mirum, quòd hæc de Episcopatus eius tempore narramus, quando iam apud omnipotentem Deum ordine simul, & moribus creuerat, dum illa magis miranda sint, quæ eum hic senex clericus adhuc puerulum fecisse testatur? Nam ait, quòd eo tempore, quo cũ matre sua puer habitabat, egressus hospitio, nõnunquã sine linea, crebrò etiam sine tunica reuertebatur, quia mox vt nudum quempiam inuenit, vestiebat, hunc se expoliens, vt se ante Dei oculos illius mercede vestiret. Quem mater sua frequenter increpare consueuerat, dicens: quòd iustum non esset vt ipse inops pauperibus vestimenta largiretur. Quæ die quadam, horreũ ingressa, pene omne triticum quod sibi in stipendium totius anni præparauit, inuenit a filio suo pauperibus erogatũ. Cũque semetipsam alapis, pugnisq; tunderet, quòd quasi anni subsidia perdidisset, superuenit Bonifacius puer Dei, eamque verbis, quibus valuit, consolari cœpit. Quæ cùm nihil consolationis admitteret, hanc rogauit, vt ab horreo exire debuisset, in quo ex omni eorum tritico, parum quid inuentum est remãsisse. Puer autem Dei se se illic protinus in orationem dedit. Qui post paululum egressus ab horreo matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum est, sicut plenum ante non fuerat, cùm mater illius totius anni sũptus se congregasse gaudebat. Quo viso miraculo cõpuncta mater iam ipsa cœpit hortari, vt daret, qui sic celeriter posset, quæ petiisset accipere. *&c.*

Admirabilis Bõifacij pietas erga pauperes.

Cùm sæuientium Vandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique essent de hac terra in Africanam regionem traducti, vir Domini Paulinus, cuncta quæ ad episcopi vsum habere potuit captiuis, indigentibusque largitus est. Cùmque iam nihil omnino superesset, quod petentibus dare po-

Libri iij. c. 1. Paulini excellens charitas qui & seipsum vendidit, vt alterũ redimeret.

H tuisset

tuisset, quodam die quædam vidua aduenit, quæ a Regis Vuandalorum genero suum filium in captiuitatem fuisse ductum perhibuit, atque a viro Dei eius precium postulauit, si forte illius dominus hoc dignaretur accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti fœminæ quid dare potuisset, inquirens, nihil apud se aliud, nisi se inuenit, petentique fœminæ respondit, dicens: Mulier, quod possim dare non habeo, sed memetipsum tolle seruum, me iuris tui esse profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in seruitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potius credidit, quàm compassionem. At ille, vt erat vir eloquentissimus, atque apprime exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti fœminæ citius persuasit, vt audita crederet, & pro receptione filii sui, in seruitium Episcopum tradere non dubitaret. Perrexere igitur vtrique ad Africam. Procedente autem Regis genero, qui eius filium habebat, vidua rogatura se obtulit, ac prius petiit, vt ei filium donare debuisset. Quod cum vir barbarus typho superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solum facere, sed etiã audire despiceret; vidua subiunxit, dicẽs: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, solummodo pietatem in me exhibe, mihique vnicum filium redde. Cùmque ille venusti vultus hominem cõspexisset, quam artem nosset, inquisiuit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens. Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quod vir gentilis valde libenter accepit, cum in nutriẽdis holeribus, quia peritus esset, audiuit. Suscepit itaque seruum, & rogarti viduæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Africana regione discessit. Paulinus verò excolẽdi horti suscepit curam. Cùmque idem Regis gener, crebrò ingrederetur hortum, suumque hortulanum quædam requi-

requireret,& sapientem valde hominem videret, amicos cœpit familiares deserere,& sæpius cùm suo hortulano colloqui, atque eius sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam holera, virentesque herbas deferre consueuerat, & accepto pane ad curam horti remeare. Cumque hoc diutius ageret, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait: Vide quid agas, & Vandalorum regnum qualiter disponi debeat, prouide, quia Rex citius, & sub omni celeritate est moriturus. Quod ille audiens, quia ab eodem Rege præ cæteris diligebatur, ei minimè tacuit, sed quid a suo hortulano, sapienti scilicet viro, agnouisset, indicauit. Quod dum Rex audisset, illico respondit, Ego vellem hunc, de quo loqueris, hominem videre. Cui gener eius, venerabilis Paulini tẽporalis dominus, respondit, dicens. Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. Has itaque ad mensam eum deportare facio, vt quis sit, qui mihi hæc est locutus, agnoscas. Factumque est. Et dum Rex ad prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere holera quæque, & virentia delaturus aduenit. Cùmque hunc Rex subitò conspexisset, intremuit, atque accersito eius domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod prius absconderat, indicauit, dicens: Verum est quod audisti; Nam nocte hac in somnio sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, & flagellum, quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. sed percunctare quis nam sit, nam ego hunc tanti meriti virum popularem (vt conspicitur) esse non suspicor. Tunc Regis gener secretò Paulinũ tulit, & quisnam esset inquisiuit. Cui vir Domini respondit. Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti. Cùmque instanter ille requireret, vt nõ quis esset, sed quis in terra sua fuisset, indicaret; atque hoc ab eo ite-

ratione frequentis inquisitionis exigeret; Vir Domini constrictus magnis coniurationibus, iam non valens negare quis esset, Episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens, valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens. Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me cum magno munere reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait; Vnum est, quod mihi impendere beneficium potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento nauibus pro venerandi viri Paulini satisfactione in eius comitatu laxati sunt. Post non multos verò dies Vandalorum Rex occubuit, & flagellum, quod ad suam perniciem, dispēsante Deo, pro fidelium disciplina tenuerat, amisit: sicque factum est, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in seruitium solum tradiderat, cum multis a seruitio ad libertatem rediret; illum videlicet imitatus, qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis.

Lib. 4. c. 14. Sed inter hæc sciendum est, quia sæpe animabus exeuntibus, electorum dulces solent laudes cœlestes erumpere, vt dum illas libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima sentire minimè permittantur. Vnde in homilijs quoque Euangelij iam narrasse me memini, quòd in ea porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam beati Clementis est peruia, fuit quidam, Seruulus nomine, cuius te quoque non ambigo meminisse: qui quidem pauper rebus, sed meritis diues erat, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam ex quo illum scire potuimus, vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam? quia stare non poterat, qui nunquam in lecto surgere, vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad

Seruuli paralytici, & egeni pietas erga pauperes.

os ducere,nunquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemosyna potuisset accipere,hoc eorum manibus, pauperibus erogabat.Nequaquam literas nouerat,sed scripturæ sacræ sibimet codices emerat,& religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere faciebat. Factum est vt iuxta modum suum plenè sacram scripturam disceret, cùm, sicut dixi, literas funditus ignoraret. Studebat semper in dolore gratias agere hymnis,Deo, & laudibus diebus ac noctibus vacare.Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius patientia,remunerari debuisset, membrorũ dolor ad vitalia rediјt. Cùmque iam se morti proximum agnouisset,peregrinos viros,atque in hospitalitatem susceptos admonuit,vt surgerent, & cum eo psalmos pro expectatione sui exitus,decantarẽt. Cùmque cum eis & ipse moriens psalleret,voces psallentium repente compescuit cum terrore magni clamoris,dicens: Tacete:Nunquid non auditis,quantæ resonent laudes, in cœlo?& dum ad easdem laudes, quas intus audierat,aurem cordis intenderet,sancta illa anima carne soluta est.Qua scilicet exeũte,tanta illic fragrantia odoris aspersa est,vt omnes qui illic aderant, inestimabili suauitate replerentur,ita vt per hoc patenter cognoscerent, quòd eas laudes in cœlo suscepissent. Sancta Seruuli mors.

Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc vsque viuit, & cum magno fletu attestari solet, quia quousque corpus eius sepulturæ traderent,ab eorũ naribus,odoris illius fragrãtia nõ recessit.

Neque

Cap. 27. Theophanij Comitis opera misericordiæ & eorum a Deo remuneratio.



EQVE hoc silendum est quod de Theophanio, Centumcellēsis vrbis comite, in eadem vrbe positus multis attestantibus agnoui. Fuit nanq; vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipuè studens. Exercendis quidem comitatus curis occupatus, agebat terrena, & temporalia; sed vt post in fine claruit, magis ex debito, quam ex intentione. Nam dum appropinquante mortis eius tempore, grauissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliēdum duci potuisset; cùmque vxor sua cum fletu vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam? quo modo te ad sepeliendū eijcio, quæ ostium domus huius egredi, præ nimia tempestate non possum? Tunc ille respondit. Noli mulier flere, quia mox vt ego defunctus fuero, aeris serenitas redibit. Cuius protinus vocem mors, & mortem serenitas secuta est: Quod signum etiam alia signa sunt comitata. Non manus eius, & pedes podagræ humore tumescētes, versi in vulneribus fuerant, & profluente sanie putebant. sed dum corpus eius ex more ad lauandum fuisset nudatū, ita manus, pedesq; eius sani inuenti sunt, ac si vnquam vulneris nihil habuissent. Ductus itaq;, ac sepultus est. eiusq; coniugi visum est, vt quarto die in sepulchro illius, marmor quod superpositum fuerat, mutari debuisset; Quod videlicet marmor corpori eius superpositum, dum fuisset ablatum, tanta ex corpore ipsius fragrantia odoris emanauit, ac si ex putrescente carne illius, pro vermibus, aromata ferbuissent. *&c.*

In Dialogis. Abundantia ex eleemosyna.

Terrenæ substantiæ, per hoc quod pauperibus distribuuntur, multiplicantur.

Ex hom 19. super Ezec. non procul a fine.

Qui solus non possidet, quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare.

Cum

Cùm qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur, iustitiæ debitũ potius soluimus, quàm misericordiæ opus largimur.

Ex Past. curæ 3. parte admon. 22. Post initium.

SED nos fratres & requiem Lazari & pœnã diuitis cognoscentes, solerter agite, culparũ vestrarum intercessores quærite, atque aduocatos vobis in die Iudicij pauperes procurate. Multos etenim nunc Lazaros habetis; ante ianuas vestras iacent: atque his indigent, quæ vobis iam satiatis quotidie micæ de mensa cadunt. Verba sacræ lectionis debent nos instituere ad implenda mandata pietatis. Quotidie Lazarum, si quærimus, inuenimus: Quotidie Lazarum, & si non quærimus, cernimus. Ecce importunè se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certè nos omninò rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus, quod petimur, quando patroni sunt, qui petunt. Nolite ergo misericordiæ tempora perdere; nolite accepta remedia dissimulare. Ante supplicium, cogitate de supplicio. Cùm quoslibet in hoc mundo abiectos aspicitis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Quorum si qua sunt talia, quæ debeant iure reprehendi, hæc si vultis ad vsum vestræ mercedis inflectite, vt ex ipsis eorum vitijs, cumulentur vobis incrementa pietatis: quatenus panem pariter detis, & verbum: panem refectionis cum verbo correptionis; & duo à vobis alimenta percipiat, qui vnum quærebat, dum & exterius cibo, & interius satiatur eloquio. Pauper ergo cùm reprehensibilis cernitur, moneri debet, & despici non debet. Si verò reprehensionis nihil habet, venerari summopere sicut intercessor debet. Sed ecce multos cernimus, quis, cuius sit meriti nescimus. Omnes ergo venerandi sunt

Ex Hom. 40. in Euãgel. nõ lõgè à fine, ex historia Lazari & diuitis epulonis quantum animari debemus ad eleemosynam.

sunt, tantòque necesse est, vt omnibus te humiliare debeas, quantò quis sit, ipse, ignoras &c.

Sub finem Homeliæ.

Honorate quos pauperes videtis, & quos foris cõspicitis despectos seculi, intus arbitramini amicos Dei. Cũ his participamini, quod habetis, vt hoc quandoque dignentur vobiscum participari, quod habent. Pensate quod ore magistri gentium dicitur: In hoc tempore vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorũ abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum. Pensate quod ipsa per se veritas dicit: quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Ad tribuendũ ergo pigri cur estis, quando hoc, quod iacenti in terra porrigitis, sedenti in cœlo datis? &c.


Ex Homilia 17. in Euangelia, nõ procul a principio.

Qui tranquillitatis tempore, non dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutionis tempore daturus est animam suam?

CAPVT OCTAVVM

Ex Leone Pontifice.

Ex sermone primo de ieiunio Pentecostes sub finem. Præmiũ eleemosynes magnum.



Vicquid in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captiuorum & in quælibet opera pietatis impẽditur, non minuitur, sed augetur. Nec vnquã apud Deum perire poterit, quod fidelis benignitas erogarit, dum quodcunq; tribuit ad subsidium, id sibi recondit ad præmium Beati enim misericordes, quoniã ipsorũ miserebitur Deus. Nec delictorũ memoria erit, vbi testimoniũ pietatis affuerit, &c.

Ex sermone 4 de Quadragesima. non longe post initium.

Non timeatur inter opera misericordiæ, terrenarum diminutio facultatum,

Ad


D omnia igitur dilectissimi opera pietatis, omnium vobis qualitas profit annorum, nec beneuolentiam christianam difficultas temporalis impediat: nouit Dominus vasa hospitalis viduæ in opus pietatis suæ vacuata complere: nouit aquas in vina conuertere: nouit de paucissimis panibus quinque millia esurientium saturare populorum. Et ille qui in suis pascitur, quæ potuit augere dando, potest multiplicare sumendo.

Ex sermone primo de Ieiunio X. mensis & collectis.

Multiplicatio bonorum in eleemosynis faciendis.


Vlla deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quã ista, quæ pauperibus impenditur, & vbi curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Nõ timeatur in ijs expensis, defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, vbi Christus & pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frãgendo auget, erogando multiplicat. Securus & hilaris sit eleemosynæ distributor, quia tunc maximum lucrũ habebit, quãdo sibi minimum reseruauerit, dicẽte beato Apostolo Paulo. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ in Christo Iesu Domino nostro.

11 sermone decimo de Quadragesima. sub finẽ.

Non potest largitatis deesse materies vbi CHRISTVS pascit & pascitur.


Vi suum ab inope non auertit animum, cito ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors ẽ: Dimittite, & dimittetur vobis. Quid hac iustitia benignius? Quid hac retributione clementius? Vbi sententia iudicaturi in potestate ponitur iudicandi. Date (inquit) & dabitur vobis. Quam citò diffidentiæ sollicitudo, & auaritiæ est amputata cunctatio,

Ex serm 6. de Ieiunio x. Mensis & collectis, nõ procul ab initio.

Sententia iudicaturi, quomodo ponitur in potestate iudicandi.

datur, dicente Domino: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: in quo opere dilectissimi etiam ij, qui ab epularum delectatione se continent fructus sibi debent misericordiæ comparare, vt qui abundātius seminauerint, copiosius metant: Non enim vnquam agricolæ suo seges ista mentitur; aut incertam spem habet operis, cultura pietatis. Quicquid hoc modo serentis manu spargitur, non æstus vrit, non torrens trahit, non grando prosternit, incolumes sunt semper omnes pietatis expensæ, nec solum integræ manent, sed etiam modo augentur & qualitate mutantur. De terrenis cœlestia prodeunt, de paruis magna gignūtur, & temporale donum in præmium transit æternum. Quisquis igitur diuitias amas, quisquis multiplicari quæ possides, concupiscis; in hæc lucra accendere, in hæc rerum tuarum augumenta suspira, de quibus nihil fur arripit, nihil tinea corripit, nihil rubigo consumit. Noli desperare de fœnore, noli de accipiente diffidere. Quod vni horum fecistis, mihi fecistis; quis dicat, intellige, & apud quem opes tuas colloces, perspicacius fidei oculis securus agnosce. Non dubitet de receptione cui Christus debitor est. Non sit anxia liberalitas, nec triste ieiunium. Hilarem enim datorem diligit Deus, qui fidelis est in verbis suis, & abundanter largita retribuit, qui benignè largienda donauit.

Nunquam agricolæ suo seges ista eleemosynæ mētitur.

Pulchrum.



I sunt thesauri iustitiæ, per quos auxiliante Dei gratia, etiam terrena bona in cœlestia transferuntur, dum multi diuitijs aut iustè sibi relictis, aut aliter acquisitis, ad instrumentum pietatis vtuntur, quūque ad sustentationem pauperum, quæ possunt exuberare, distribuunt, congregant sibi inamissibiles facultates, vt quod abdiderint in eleemosynis, nullis possit su-

ex sermone septimo, sub finem.


biacere diſpendijs, & dignè ibi habeant cor, vbi habent theſaurum ſuum: quia tales diuitias ſuas dignum & beatiſſimum eſt exercere, vt creſcant, & non timere, ne pereant.

Ex ſermone quito de collectis. Paulò poſt initium



ON ſolum ſpiritales opes & dona cœleſtia Deo donante capiuntur, ſed etiam terrenæ corporeæ facultates, ex ipſius largitate proueniunt; vt merito rationem earum quæſiturus ſit, quæ non magis poſſidenda tradidit, quàm diſpenſanda cõmiſit. Muneribus igitur Dei iuſtè & ſapienter vtendũ eſt, ne materia boni operis fiat cauſa peccati: Nam diuitiæ quidem, quantum ad ipſas ſpecies earum, atque ſubſtantias pertinet, bonæ ſunt, & humanæ ſocietati plurimum poſſunt, cùm à beneuolis habentur, & largis, nec illas aut luxurioſus, aut auarus abſtrudit, vt tam pereant malè conditæ, quàm inſipienter expenſæ. Quamuis autem laudabile ſit intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, multique magnificè dedigentur facultates ſuas occulere, & in copias affluentes vilem atque ſordentem horreant parcitatem, non eſt tamen talium aut fęlix abundantia, aut probanda frugalitas, ſi ipſis tantùm propriæ opes ſeruiunt, ſi eorum bonis nulli iuuantur pauperes: nulli fouentur infirmi: ſi de magnarum abundantia facultatum non captiuus redemptionem, non peregrinus ſolatium, nõ exul ſentit auxilium. &c.

Ex eodẽ ſermone quinto de collectis & eleemoſynis, immediatè poſt
In quantam inopiam cadunt diuites immiſericordes.



VIVSMODI diuites egentiores ſunt omnibus egenis. Perdunt enim illos reditus, quos poſſent habere perpetuos: & dum breui, nec ſemper libero incũbunt vſui, nullo iuſtitiæ cibo, nulla miſericordiæ ſuauitate paſcuntur: foris ſplendidi, intus obſcuri: abun-

abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fame afficiunt, & nuditate dehonestant; qui de ijs, quæ terrenis horreis comendarunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt. Sed forte sunt aliqui diuitum, qui licet nullis largitionibus pauperes Ecclesiæ soleant adiuuare, alia tñ mandata Dei custodiunt, & inter diuersa fidei, & probitatis merita, venialiter sibi æstimant vnam deesse virtutem. Verum hæc tanta est, vt sine illa ceteræ & si sint, prodesse non possint. Quāuis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & alijs moribus ornatus insignibus, misericos tamen si non est, misericordiam non meretur. Ait enim Dominus: Beati misericordes quoniam ipsorum miserebitur Deus. Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & sederit in throno gloriæ suæ; & congregatis omnibus gentibus, bonorum, & malorum fuerit facta descriptio in quo laudabuntur, qui ad dexteram Dei stabunt, nisi in operibus beneuolentiæ, & charitatis officijs, quæ Iesus Christus sibi impensa reputabit? Quoniam qui naturam hominis suam fecit, in nullo se ab humana humilitate discreuit. Sinistris verò quid obijcietur, nisi neglectus dilectionis; duritia inhumanitatis, & pauperibus misericordia denegata? quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri. Sed illo magno sūmoq; iudicio tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per vnum bonum introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum.


EIVNIVM nostrum misericordijs pauperum suppleamus, impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati: fiat refectio pauperis abstinentia ieiunantis. Ex sermone secundo de ieiunio decimi mensis & collectis.

Quic-

fidit, à quo quod erogaret, accepit. &c.

Ex ferm. 1. de ieiu x mēfis & collectis, non procul a fine.

Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui bene velle non defuit.

Pulchrũ pro ijs quoq; qui non habent vnde eleemosynas faciāt;

Ex sermone tertio de eodem, sub finē

Modicum est enim, quod pauperi satis est; nec victus illius, nec vestitus onerosus est. Vile enim est, quod esurit. Vile quod sitit, & nuditas, quæ indiget operiri, non poscit ornari, & tamē Dominus noster tam pius operum nostrorũ arbiter, tàm benignus est æstimator, vt etiam pro calice aquæ frigidæ sit præmium redditurus.

Ex sermone octauo de eodem, in fine.

Aeternæ charitatis affectu dilectionem vestrā monemus, vt ieiunium decimi mensis fructuosum vobis eleemosynarum largitate faciatis, gaudentes quòd per vos Dominus pauperes suos pascit, & vestit. Quibus vtique posset eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, nisi pro ineffabili misericordia sua & illos iustificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis. &c.

Ex ferm. 1. de collectis, in principio. Animæ suæ benefacit qui alienę succurrit inopiæ.

Certum est enim vnumquemque nostrum animæ suæ benefacere quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. Thesaurum enim suum cōdit in cœlo, qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc & dispensationem diuinæ pietatis agnosce: Idcirco enim te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore, teque à peccatorũ multitudine liberaret, O mira prouidētia, & bonitas Creatoris, vt vno facto, duobus vellet esse succursum. &c.

Ex ferm. 2.

PRimus collectarum dies faluberrimè a fanctis
patribus inftitutus hoc exigit, vt vnusquisque
prout votiuũ atque poffibile eft, in vfus atque
alimoniam pauperum de veftris facultatibus confera-
tis: fcientes præter illud regenerationis lauacrum, in
quo vniuerforũ ablutam fcitur maculam peccatorum,
hoc remedium infirmitati humanæ diuinitus effe dona
tum, vt fiquid culparũ in hac terrena habitatione con-
trahitur, eleemofynis deleatur. Eleemofynæ enim ope-
ra charitatis funt, & fcimus, quòd charitas operit mul-
titudinem peccatorum. *&c.*

Alterum baptifmi genus eleemofyna.

Ex ferm. 4. fub medium.

Mifereantur pauperum, qui fibi volunt parcere Chri-
ftum. *Et*

Faciles fint in alimenta miferorum, qui cupiunt ad fo-
cietatem peruenire fidelium.

Ex eod. ferm. paulo poft.

Cibus egeni, regni cœleftis eft pretium; & largitor
temporalium, hæres efficitur æternorum.

Ex ferm. 2. de afcéfione Domini, non lõgè a fine.

Nihil autem validius eft dilectiffimi contra diabo
li dolos, quàm benignitas mifericordiæ, & largi-
tas charitatis, per quam omne peccatum aut de
clinatur, aut vincitur. *&c.*

Quid validiffimum fit cõtra diaboli dolos.

Ex ferm. xi. de quadragefima, in fine.

QVi aliquam dat portionem fubftantiæ fuæ, in-
telligat fe miniftrum effe mifericordiæ diui-
næ, qui partem pauperis in manu pofuit lar-
gientis, vt peccata, quæ baptifmi aquis, aut pœniten-
tiæ lacrimis abluuntur, & eleemofynis deleantur, di-
cente fcriptura: Sicut aqua extinguit ignem, ita elee-
mofyna extinguit peccatum.

CAPVT NONVM.

CAPVT NONVM

Ex Sancto Augustino.



HRISTVS est,ipse à te petit,qui tibi dedit.Erubesce, ille diues pauper esse voluit,vt haberes pauperes,quibus dares.Da aliquid fratri tuo. Da aliquid proximo tuo.Da aliquid comiti tuo, Tu diues es,ille pauper est.Vita ista,via est simul ambulãtis.Sed forte dices.Ego diues,ille pauper.Simul ambulatis an non ? Quid est, quod dicis, ego diues;ille pauper:nisi ego oneratus,ille leuis?Ego diues ille pauper.Sarcinam tuam commemoras: pondus tuum laudas:Et quod grauius est,constrinxisti ad te sarcinam tuam,ideo non potes porrigere manum. Onera te, liga te,quid te iactas?quid te laudas? Solue vincula tua,minue sarcinam tuam.Da comiti, & illum adiuuas,& te releuas. Inter has voces tuas laudantes sarcinam tuam,adhuc Christus petit,& non accepit,& offendis nomen pietatis crudelibus vocibus,& dicis. Et quid seruo filijs meis? Christum illis oppono:filios suos mihi reponit. Ista vero iniustitia magna, vt habeat,vnde luxurietur filius tuus;egeat Dominus tuus: Cùm enim vni ex minimis meis fecisti,mihi fecisti. Non legisti,non aduertisti,Cùm vni ex minimis meis non fecistis,mihi non fecistis:Non legisti, non timuisti:Ecce quis eget,& filios tuos numeras.Postremo numera filios tuos : adde vnum illum inter illos,Deum tuum. Vnũ habes,sit ille secundus:duos habes,sit ille tertius:tres habes,sit ille quartus.

Lib.de disc. Christiana. Quanta sarcina ex oneratur,qui eleemosynã das.

Optima ratio numerandi suos filios.

K Noli

In l·b. de decem chordis. Inanis excusatio eorum, qui se eleemosynas faciant dicunt se filijs suis seruare.


OLI parcere thesauris caducis,thesauris vanis.Noli sub imagine pietatis, augere pecuniam. Filijs meis seruo. Magna excusatio : filijs meis seruo.Videamus, seruat tibi pater tuus: seruas tu filijs tuis;filij tui filijs suis,& sic per omnes,& nullus facturus est præcepta Dei.Quare non illi potius impendis omnia,qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit,ipse te pascit ex his,quæ fecit ipse;pascit & filios tuos.Neque enim melius committis filio tuo patrimonium tuum, quàm creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines: mala est auaritia.Palliare se volunt nomine pietatis, & dealbare, & quasi propter filios videantur seruare homines,quod propter auaritiam seruant. Nam vt noueritis,quia sic plerumque contingit. Dicitur de quodam.Quare non facit eleemosynam.Quia seruat filijs suis.Contingit vt amittat vnum:si propter filios seruabat,mittat post illum partem suam.Quare illam tenet in sacculo,& illũ relinquit ab animo. Redde illi,quod suum est:redde,quod illi seruabas.Mortuus est inquit, sed præcessit ad Deũ : pars ipsius debetur pauperibus. Illi debetur, ad quem perrexit : Christo debetur; ad ipsum enim perrexit, & ille dixit. Qui vni ex minimis istis fecit,mihi fecit:Et qui vni ex minimis istis nõ fecit mihi non fecit. Sed quid dicis : Seruo fratribus ipsius.Si viueret ille;non erat cum suis fratribus diuisurus?O fides mortua:mortuus est etenim filius tuus. Quicquid dicas,mortuo debes quod viuo seruabas. Mortuus est filius meus,sed tamen partem filij mei seruo fratribus ipsius.Sic credis,quia mortuus est.si pro illo Christus mortuus non est:mortuus est ipse. Si autẽ in te fides est,viuit filius tuus:viuit prorsus,non decessit,sed præcessit. Qua fronte venturus es ad filium tuum,qui præcessit,cur præcedenti non mittis partẽ suã in cœlum?An non potest mitti in cœlum?potest prorsus;

Melius committit aliqui patrimoniũ suũ creatori suo quam filio suo.

Pulchrum.

sus. Audi ipsum Dominum, dicentem: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Si ergo ille thesaurus melius est custoditus in cœlo: nunquid tunc mittendus est filio, quando si missus fuerit non peribit? Tenebitur hic, vbi potest perire: non mittitur illuc; vbi Christus est custos. Certè ea, quæ hic tenes, & non vis mittere post filium tuum, quibus commendas? actoribus tuis commẽdas illius partem, qui præcessit, & Christo non cõmendas, ad quem præcessit. An idoneus est tibi procurator tuus, minus idoneus Christus? Videtis fratres quia mẽdacium est, quod dicunt homines. Filijs meis seruo. mẽdacium est fratres mei, mendacium est.



SOLA enim misericordia ad Deum dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem: sola Deum deducit ad hominem: Hæc est sola mediatrix auersos consolans. Nunquam vidi pium hominem mala morte finiri. Sermo. 6. ad Heremitas de misericordia.

De Pietate, & Charitate & opere misericordiæ.



FRatres mei carissimi, nunquam recordor me legisse mala morte periisse illum, qui libenter in hac vita opera charitatis, vel pietatis voluit exercere: habet etiã multos intercessores pius homo, & ille, qui opera charitatis exercet hilariter. Quid enim de pijs hominibus dicere poterimus, nisi id, qđ frequenter legimus, Opera enim illorum sequuntur illos: Quare, nisi quia multos habet intercessores. Ideo impossibile est, vt preces multorum non exaudiantur. Opera eleemosynariorũ illos cõsequi. Considera ergo, ò homo, quis est ille, qui tibi in via occurrit; animaduerte, quòd homo est ad imaginem Dei factus, & tam pauper est, nudus, miser, mendicus, orpha- Occurrentẽ paupereẽ qua ratione excipere debem⁹.

nus & pupillus. Caue tamen ne eum despicias; Caue ne eum percutias: ne eum expellas. Nam licet pauper, licet nudus, licet famelicus, licet miser appareat, licet doleat, licet erubescat, non tamen expellẽdus est pauper. Nolite igitur fratres mei eos expellere, nec etiam importunè si petierint, nolite de eis aliquando murmurare, quia pauper & inops non cessant laudare nomen Domini. Considera tu diues, qui vias ambulas, & plateas & recto capite & collo, quod tu simul cum paupere natus es de muliere, & breui viues tempore. Et licet diues sis, sæpe tamen repleberis amaritudine & doloribus. In sordibus generatus es, in tenebris confouerris, in doloribus etiam peperit te mater tua, ante exitũ, matrem grauiter onerasti, in exitu matrẽm dilacerasti: turpiter fleuisti simul cum paupere & mendico quando vallem plorationis ingressus es. Pares ergo geniti sumus, pariter viuimus, & pariter moriemur. Considera ergo diues, quòd pauper & omnis diues pari modo nascuntur. Noli ergo eos despicere: noli manum beatitudinis auertere ab eis, sed eos facie serena suspice, eos consolando verbo & exemplo. Misericordia igitur fratres mei mater nostra sit. nam qui esurientem pane verbi reficit; qui sitientem, potu sapientiæ refrigerat: qui errantem in domum reuocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide & patientia instruit, qui in tribulatione oppressos, consolando vel compatiendo eis subuenit; hic verè pius est, verus misericors est, amicus Dei est: nec eum mala morte periturum nullus dicere audeat. O misericordia salutis præsidium, fidei ornamẽtum, propitiatio peccatorum. Tu iustos probas, tu sanctos approbas, malos ad bonum perducis, & qui sine te cunctis bonis abundare videtur, vel castitate apparet decoratus, omnino dicere non desistat, seruus inutilis sum.

Misericordia mater nsa sit.

Encomium misericordiç

Præbe

Præbe terram,& accipe cœlum.

In tractatu de misericordia.

Diues & pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo sunt sibi necessaria.

Hom. 25. de verbis Domini in monte.

CAPVT DECIMVM.

Ex S. Hieronymo.

epist. ad Nepotianum.



ON memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit;habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.

Mala morte non moritur qui libenter opera pietatis exercet.

In Prouerbia cap.3. i pric.



VNQVAM ab opere misericordiæ,quæ proximo fit,impendenda,recedas: sic enim fiet vt & te Dei semper misericordia prosequatur,qua deleat peccata tua. &c. Qui ergo proficuũ sibi eleemosynæ fructũ fore desiderat, & de suis proprijs, & in conditoris honorem,tribuat, vt scilicet homines, qui eius plasma sunt, quique ad eius imaginem sunt facti,recreentur: Non solum autem de substantia pecuniæ, quam pauperi porrigimus, sed de cunctæ bonæ operationis, quam agimus, de vniuersæ cœlestis gloriæ,quam percepimus,substantia vel frugibus dominum honorare iubemur. Hoc est eius in omnibus, & non nostram quærere laudem.Sed ille dominum de sua substantia,suarumque frugum primitijs honorat,qui omne quicquid boni operatur,non hoc suis viribus,ac meritis,sed supernæ gratiæ tribuit, memor illius verbi,quia sine me nihil potestis facere.

Misericordiã Dei, misericordé consequi.

Super illud Honora Dominum de tua substantia.

Alij

Cap. 11. eleemosynae fructus.



Lij diuidunt propria, & ditiores fiunt.] Quia centuplum accipiunt in hoc tempore, & in sęculo venturo vitam ęternam. Electi, qui proprias substantias pręsenti in vita ob amorem Regni cœlorum indigentibus per eleemosynas diuidunt, ditiores fiunt in cœlestibus, & spiritualibus donis, quàm olim fuerant in terrenis, & carnalibus possessionibus.

Idem in prouerbiis.

Qui iram districti iudicis, quam peccando meruit, placare desiderat, eleemosynas det pauperibus.

idem alibi. Imitator CHRISTI dator eleemosynae.

SI vis esse perfectus, & tollere crucem tuam, & sequi Dominum saluatorem, & imitari Petrum, dicentem, ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, vade, & vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & sequere saluatorem. Non dixit, da filijs, da fratribus, da propinquis, quos etiam si haberes, iure iis dominus pręferretur; sed da pauperibus, imo da Christo, qui in pauperibus pascitur; qui cum diues esset, pro nobis pauper factus est: qui loquitur in tricesimo nono Psalmo, Ego autem mendicus sum & dominus sollicitus est pro me.

Magnus fructus eleemosynae.

O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, ęterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere dominum debitorem. Si qua autem vidua habet liberos, & maximè si nobilis familię est, egentes filios non dimittat, sed ex ęqualitate eos amet, & vt meminerit primum animę suę, & ipsam putet esse de filiis, & partiatur potius cum liberis, quàm omnia filijs derelinquat; immo Christum liberorum suorum faciat cohæredem.

In Psalmos damus de dono CHRISTI nô de nostro, quando damus eleemosinas.



Vando ergo damus, non damus quasi de nostro sed de dono Christi: Nō debemus dare quasi mēdico, sed quasi fratri. Nos damus carnalia; ille

ille dat spiritualia: plus dat pauper, quàm accipit: Nos damus panem, qui in ipsa die consumitur; Ille pro pane, reddet nobis regna cœlorum.

Da pauperibus eleemosynam, & benedic domino, gratias age domino, quia tibi dederit, vnde des fratri, magis tu agito gratias Christo, quando dederis, quàm frater, qui a te acceperit, tibi agat gratias. Grande nobis beneficium præstant pauperes. Peccata, quæ iam aliter lauare nō possumus, extīguit eleemosyna. Quid scriptum est? Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccata: Hoc præstat eleemosyna, quod & baptisma, Quo modo baptisma nobis peccata dimittit, ita & eleemosyna peccata dimittit.

Quo modo baptisma nobis peccata dimittit, & eleemosyna peccata dimittit.

CAPVT VNDECIMVM.

Ex Diuo Ambrosio.

Ex lib 7. in illud Lucæ c. 12. Hóis cuiusdam diuitis vberes fructus possessio attulit & c.



EMANENT in seculo cuncta, quæ seculi sunt, & pereunt nobis quæcunque congregantur hæredibus; Neq; enim nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ cęlestium dux præuia mansionum; pecuniæ vilis vsura tabernacula defunctis acquirit æterna. &c.

Quàm stabile bonū eleemosyna.

In Lucam. Alienum bonum diuitiæ.

ALIENAE a nobis diuitiæ sunt, quia præter naturam sunt, neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt.

Lib. de Tobia.



X omnibus, quæ abundauerint tibi, fac eleemosynā, omni tēporem benedic Dñm; In his itaq; fœnus æternum est, & vsura perpetua.

Fœnerate

Ex lib. de Tobia, cap. 16.

FOENERATE domino pecuniam vestrã in manu pauperis, ille astringitur, & te netur, Ille scribit, quicquid egenus acceperit, euangelium eius cautio est, ille promittit pro omnibus indigentibus. &c.

Ibidem post pauca.

DATE otiosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam, & pauperum subuenietis necessitatibus, & vobis custodiæ sollicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit, & vobis, quod dederitis: inopi, me custode, seruabitur.

Ibidem, immediatè post prædicta. Quodnam eleemosynæ præmium est in lege, & in euangelio.

QVOD si incrementum vsurarum quæritis, in lege benedictio, in euãgelio cœlestis est merces; Quid suauius benedictione? quid maius est cœlo? si escarum desiderantur vsuræ a quoque præsto est, sicut legimus, Is enim qui miseretur pauperis, ipse pascitur.

Liber de Helia & Ieiunio cap. 20.

PEcuniam habes, redime peccatum tuum. Nõ venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venũdatus es, redime te operibus tuis, redime te pecuniatua. Vilis pecunia, sed preciosa est misericordia. Eleemosyna inquit, a peccato liberat, & alibi dicit. Redemptio viri diuitiæ eius. Et in euangelio Dominus dicit, Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis. Et veneno frequenter antidotũ temperatur, hoc est, venenum veneno excluditur. Veneno mors repellitur, vita seruatur. Fac & tu quasi bonus dispensator, de instrumẽto auaritiæ subsidium misericordiæ, sinceritatis gratiam de corruptionis illecebra.

Lib. de Nabuthe Israelita cap 7. sub medium.

CVR ergo de bonis facitis mala, cum de malis bona facere debeatis? scriptum est enim. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ei ergo

ergo qui vti sciat, multa bona sunt, ei qui vti nesciat, rectè mala. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis fœneratione constituas? Bona sunt, si aperias horrea iustitiæ tuæ, vt sis panis pauperum, vita egentium oculus cœcorum, orbatorum, infantium pater: habes, vnde facias, quid vereris? Tua te voce cōuenio. habes multa bona in annos multos posita, potes & tibi, & alijs abundare. Include ea in corde pauperum. Si terra tibi reddit fructus vberiores quàm acceperit, quanto magis misericordiæ remuneratio reddit multipliciora quæ dederit? Pulchri stimuli ad faciēdā eleemosynam a præmio & ab exemplo.


Væ autem parasti, cuius erunt? quid quotidie metuis, & numeras, & obsignas? quid aurum trutinas, argentum ponderas? quanto melius est liberalem esse dispensatorem, quàm solicitum custodem? Quantum tibi prodesset ad gratiam, multorum pupillorum patrem nominari, quàm innumeras stateras in sacculo obsignatas habere? Pecunia enim hic relinquitur; gratia autem operum bonorum nobiscum ad iudicem meriti defertur. Cap. 8.


Vteus enim, si nihil haurias, inerti otio, & degenere situ facile corrumpitur, exercitatus autem, nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita & aceruus diuitiarum cumulo arenosus, speciosus est vsu, otio autem inutilis habetur. Tibi igitur proficit, quicquid inopi contuleris. Tibi crescit, quicquid in pauperes erogaueris. Scriptum est. Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo. Ipse cibo in paupere pascitur, & fructus iam in his est misericordiæ. Seminatur in terra, germinat in cœlo. Plantatur in pauperes, apud De- Cap. 12. Similitudo apta putei, ex quo frequenter aqua hauriatur cum eo qui dat eleemosynam.

um pullulat:Non de tuo largiris pauperi; sed de suo reddis; Quod enim commune est in omnium vsum datum,tu solus vsurpas; omnium est terra, non diuitum: Debitum igitur reddis,non largiris indebitum. Ideoque tibi dicit scriptura :Declina pauperi animam tuam,& redde debitum tuum,& responde pacifica in mansuetudine.

Cap. 14.

Vēde aurum & eme salutē vende lapidē & eme regnū Dei.



VStos es tuarum non dominus facultatum,qui aurum terræ infodis,minister vtique eius,non arbiter Vende aurum,& eme salutem; Vende lapidem,& eme regnum Dei.Ista tibi potest mors eripere,potestas superioris tollere, deinde quia poteris parua pro magnis,caduca pro æternis,thesauros pecuniæ pro thesauris gratiæ vendere.Facit tibi patrem debitorem Deum,qui pro munere,quo pauper adiutus est,fœnus exoluit,quasi bonus debitor creditoris. Facit tibi debitorem filium Dei,qui ait, esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.

Sermo 81. de eo q̄ scriptū est in Euang. ōis cuiusdam d uitis vberes fructus ager attulit, ante medium. In dante potius quā in accipiente manet beneficiū.

Patres simus potius mille filioru .i. pauperum, quàm domini mille aureorum.



Eneficium largientis,præbenti magis permanet,quàm suscipienti.Nam misericordia quidem ad indigentem prouenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem,Ille quidem pastus est, & refectus, sed ad te redit quod dedisti cum fructibus & vsuris.Quod si difficile putas,Considera frumentum, quod seminatur in terra,si non ad seminantis potius,quàm ad suscipientis lucra cedit:Si gloriam ex diuitijs quæris, cognosce,quia melius est mille filiorum,quos per misericordiam filios acquisieris,patrem vocari, quàm mille aureorum dominum dici,facultates namq; relinquentur hic,etiam si nolumus;bonorum verò operum conscientia nobiscum pariter pergit ad Deum, & confidera quan-

ra quanta tibi tum erit gloria, cum te omnis ille populus, qui ex promptuarijs tuis pastus est, & refectus, pro tribunali magni illius, & iustissimi iudicis, caterua constipante, circundabit, pastorem te suum, ac tutorem pium, & misericordem patrem omni gratiarum voce testabitur. Quod si magistratus in theatris, mimis, & athletis, & gladiatoribus alijsque huiusmodi generis hominum, totum penè patrimonium suum largitur, ac prodigit, vt vnius horæ fauorem vulgi acquirat, nihil sibi vlterius profuturum: tu dubitas, & cunctaris munificus esse in huiusmodi largitionibus, in quibus iudex residet Deus fauentium, & acclamantium vulgus est Angeli? vbi omnes, qui a seculo fuerunt sancti laudatores, & prædicatores tui sunt? Vbi laus, & fauor non simul cum die cessat, sed cum seculis permanet? Vbi corona tibi non auri, sed iustitiæ dabitur? Vbi non honores vnius vrbis, sed cœlorum regna mereberis. Et hæc omnia conquiruntur per misericordias pauperum, per dispensationes indigentium, in quibus cibi corruptibilis pretio, incorruptibilem regni cœlorum gloriam æternamque mercaris.

Ab ijs qui in Theatris sua prodigunt bona.


Neque enim minus est criminis habenti tollere quam cum possis, & abundas, indigentibus denegare; esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare quod velis.

ibid. sub fine.

Quorum nã sint bona quę videmur habere.


Eleemosynam facere ipsi proficit, qui largitur. Eleemosynæ autem operatio sibi confert meritum, qui ministrat: Eleemosynæ erogatio lucrum tribuit eroganti. Ditior enim fit vir misericors

Serm. 39. de Ieiunijs & Eleemosynis.

Fructus eleemos. et vis.

postea quàm minus habere incipit pauperibus largiendo. Beata igitur est eleemosyna, quæ & accipientẽ reficit, & lætificat erogantem, Hilarem enim datorem diligit Deus, atque ideo melius est illi prius dare, Lætus ergo & hilaris est, qui pauperibus subministrat.

Serm. 30. de eleemosyna.



ICIT scriptura diuina, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna planè, & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus penè iam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis, rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, vt interueniente eleemosyna sicut aqua inter mortuos; succus refrigerium arescentibus infundatur, hoc est vt miseri homines, qui in mortem, peccatis aruerant, ad vitam eleemosynis reuiuiscant, sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium; vt flammas, quas sibi peccando incenderãt, largiendo restinguant, atque vtiliore commercio, qui pecuniam quondam dederat, vt adulteriũ perpetraret, nunc pecuniam eroget, vt adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim Dominus ad discipulos suos: Date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. Quamuis ergo pollutus, quãuis multis criminibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti, Abstergit enim eleemosyna, quod auaritia polluebat, & maculas, quas res alienas diripiendo contraxeras; tuas erogãdo purificas. Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna & sola virtus est cunctorum redẽptio peccatorum.

Pulchrum.

Ita

ITA igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna, quodammodo animarum aliud est lauacrum, vt si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, superſit ei, vt iterum eleemoſynis emundetur, ſicut ait Dominus. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, niſi (quod ſalua fide dixerim) indulgentior eſt eleemoſyna quàm lauacrum. Lauacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur, Eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Hi ergo duo miſericordiarum fontes ſunt, qui & vitam tribuunt, & peccata condonant, qui vtrũque cuſtodierit, regno cœleſtis honore ditabitur. Qui autem maculato fonte viuo ad miſericordiæ ſe fontem contulerit, & ipſe miſericordiam conſequetur.

Serm. 31. de eleemoſyna, & de muliere Samaritana.

Duo fontes miſericordiarum quinam.

BOna etiam miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum patrem. Nihil tàm commendat chriſtianam animam, quàm miſerciordia, primum in pauperes, vt communes iudices partus naturæ, quæ omnibus ad vſum generat fructus terrarum, vt quod habes largiaris pauperi, & conſortem & conformem tuum adiuues. Tu nummum largiris, ille vitam accipit. Tu pecuniam das, ille ſubſtantiam ſuam æſtimat. Tuus denarius, cenſus illius eſt. Ad hæc plus ille tibi confert, cum ſit debitor ſalutis. Si nudum veſtias, te ipſum induis iuſtitiam. Si peregrinum ſub tectum inducas tuum, ſi ſuſcipias egentem, ille tibi acquiret ſanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris iſta gratia, corporalia ſeminas & recipis ſpiritualia. miraris iudiciũ domini de ſancto Iob? Mirare virtutẽ eius, qui poterat dicere. Oculus eram cœcorum, pes claudorum, Ego eram infirmorum pater

Officiorum lib. 1 cap. 11.


Pulchra: de eleemoſynæ fructibus ſententia.

Exemplum Iob.

ter, Velleribus agnorum meorum calefacti sunt hume ri eorum; foris non habitabat peregrinus, Ostium autem meum omni venienti patebat. Beatus planè de cu lus domo nunquam vacuo sinu pauper exiuit. Neque enim quisquam magis beatus quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi, atq; inopis herumnam. In die iudicij habebit salutem à Domino, quē habebit suæ debitorem misericordię.

Idem alibi.

Efficax antidotum eleemosyna cōtra venena peccatorum.



NVllum tam graue delictum est, quod nō purgetur abstinentia. & eleemosynis extinguatur, Ait enim sanctus Propheta. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum: magna ergo est eleemosyna, quæ ardentiū criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quadam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, vt quamuis offensus Deus, quamuis criminibus prouocatns cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis: cogitur enim a nobis quodam modo, dum compellitur pro actibus nostris mutare sententiam, & in vno eodemque homine nunc seueritate iudicis promoueri, nunc patris pietate blandiri; Pater enim nobis Deus est cum benè agimus; iudex noster est, cum peccamus.

Caput Duodecimum.

CAP. DVODECIMVM

Ex D. Ioanne Chrysostomo.

Ad populum Antiochensē Homil. 33.



RS omnium artium quæstuosissima, eleemosyna.

Eleemosynæ varij, & vberrimi fructus.

Eleemosyna nihil est vtilius.
Clarum est profectò quòd & ars & omnium est artium optima.
Aeternam præstat vitam.
Ex mortis manibus arripit
Et in vtraque vita claros exhibet.
Et mansiones ædificat in cœlis, & æterna parat illa tabernacula.
Hæc lampades nostras non finit extingui, nec sordidis indutos vestibus in nuptijs videri: sed lauat, & niue mundiores reddit; si nanque fuerint peccata nostra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.
Non finit nos eo decidere, vbi diues ille nec audire verba tremenda, sed in Abrahæ sinus deducit.
Melius est hanc scire, quàm Regem esse, & diademate coronari.
Hæc nanque te docet quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum.
Si misericordiam auferas, omnia transibunt, & perierint: & sicut mare non potest nauigari portubus, & stationibus obrutis, ita nec hæc iura constant, si misericordiam, & veniam tollas, ac humanitatem.
Hoc super omnia discat homo, quoniam & hoc est homo, magnum enim homo & pretiosum, vir misericor. Itaque nisi hoc habeat, esse desijt homo.



Aiora recipis, quàm largiris, beneficiumque potius accipere, quàm ferre probaris, Deoq; non hominibus fœneraris; diuitiasque non-

In epistol. ad Tim. 1 Ca. 5. Hom. 14.

Qui bonum fœnus eleemosyna.

minuis, sed auges. minuis autem illas, nisi eroges, nisi indigentibus des.

In actis Apostol. Cap. 11. Hom. 16.



Vi multa bona fecerunt, non solum eos, quibus benefecerunt, sed etiam eos, quibus nullum beneficium impenderunt, inueniunt laudatores, quid dicam liberos ab inuidia, & insidiatoribus, & latronibus, & parietum effractoribus? Non hoc solum bonum habet, sed adhuc cum eo, quod non imminuuntur, crescunt etiam opes, & multiplicantur.

Eleemosynæ præmium.

In Gen. Cap. 15. Ho. 36.



Eque pecuniarum sumptus tãtum spectemus, si quando opus est eas pauperibus erogare, sed potius quantum nobis accrescat. Ea enim de causa, semini eleemosynam comparauit diuina scriptura, vt cum gaudio, & multa alacritate ea operemur: nam si ij, qui semina terræ concredunt, & vnica, & intus reposita spargentes, ita negotiantur, & bona spe fouentur, & nunc manipulos imaginantur, ac plenas areas: multò magis quibus datum est semen hoc spirituale seminare, gaudere, & exultare conuenit, quòd messuri sunt ĩ cœlo hoc, quòd in terra serunt, & nummos expendunt, peccatorum autem remissionem accipiunt, & fiduciæ materiam inueniunt, conciliantes sibi per ea, quæ hic dant, perpetuam quietem, & cum sanctis conuersationem.

Cur eleemosyna semini cõparatur.

In Gen cap. 30. Hom. 55.



Ffundamus facultatẽs nostras in indigos mente liberali ex his, quæ nobis dominus dedit, & quæ ab eo data sunt, ipsi iterum demus, vt sic iterum nostra cum lucro fiant. Tanta enim eius est liberalitas, quod licet accipiat de his, quæ ipse dedit, non putet tamen propria se accipere, sed magna munificentia nobis eam redditurum se pollicetur. tantum nos

Liberalitas Dei quæsita erga eos qui eleemosynas dant

nos & quæ noſtra ſunt facere velimus, & ſic pauperibus erogemus, quaſi deponentes ea in manibus Domini: ſcientes quòd quæcunq; acceperit manus eius, ea non ſolum reddit, ſed multiplicatiora nobis iterum largitur; ſuæ liberalitatis gloriam declarans. Et quid, inquam, quod ea reddat multiplicata, manus illa? non enim illa ſolum reddit, ſed cum illis regnum cœlorum donat, & celebrat, & coronat, & innumera bona largitur; modo ex datis paruum quiddam inferre voluerimus. Nū graue aliquid, & oneroſum requirit? Ea quæ abundant, & ſuperuacanea ſunt nobis, neceſſaria facere vult: & quæ fruſtra, ac ī vanum repoſita ſunt, ea vult benè diſtribui, vt occaſione accepta hinc nos coronet. Anhelat enim, & vrget, ac omnia facit, vt dignos faciat his, quæ ille promiſit. Ne igitur nosipſos priuemus tantis bonis. Nam ſi agricolæ penu ſuum euacuant, & ſemina terræ concredunt, idque cum voluptate faciunt, ſpe maiora recipiendi ſe ſolantes, & quamuis ſciant, quod aeris intemperies nonnunquam, & terræ ſterilitas, & alia multa accidentia (vt locuſtarum exercitus, & rubiginis inſidiæ) ſpe excidere faciant; attamē bona ſpe ſe ſe alentes, eaque in promptuarijs collecta terræ concredunt, multo magis nos, quæ abſque uſu recondita ſunt, diſpergere in pauperum vſus, & educationē conuenit. Hic nunquam ſpes eluditur, neque timenda aliqua terræ ſterilitas: dicit enim. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Breui tempore diſtribuit, & perpetuo ſeculo iuſtitia eius permanet.

DA eleemoſynā, & tunc pecunia non conſumetur; quodque eſt amplius, non modò nō cōſumetur ipſa; verum etiam maiora incrementa ſuſcipiet. Ex Hom. 21 ſ illud Matth. 6. Nolite thesaurizare.

M Magna

Ad populum Antiochenũ Hom 36.

Eleemosynã mai' aliquid quã mortuos suscitare sine qua sterilis oratio est, & reliqua.



Magna res homo & pretiosa, vir misericors. Hæc maior est gratia quàm mortuos resuscitare; multo nanque maius est, quàm in nomine Iesu mortuos suscitare, esurientem pascere Christũ. Nam hic quidem tu de Christo benemereris, illic autem ipse de te. Hic enim, in signis, inquam, ipse Deo debes: in eleemosyna vero Deum habes debitorem: vbi quæso vtilis erit, qui eleemosynam non facit? Ieiunas quotidie. Verum & tunc virgines illæ; sed nihil eis profecit. At oras, & quid hoc? absque eleemosyna sterilis oratio: Omnia immunda absque hac; omnia inutilia, maior virtutis pars est amputata.

Tanta vis est eleemosynæ; cum multa fiducia suos introducit alumnos: Est enim cœli nota ianitoribus, & contradicet nemo, sed omnes cedunt.

Ibidem. Aequari nos Deo per eleemosynam.



Hoc est id, quo Deo possumus adæquari: misereri, & misericordiam exhibere. Estote misericordes, sicut & pater vester, qui in cœlis est. Hoc Dei opus est, hoc si non habes, quid habes? Nihil ita Deũ attrahit, sicut misericordia. Magnũ est, & pulchrum & pretiosum eleemosyna; donum est magnum, immo verò magnum bonum. Dans eleemosynam, discit aspernari diuitias: qui pecunias discit aspernari, malorum radicem excidit.

Hom. 14. Virginitatẽ non seruari, si desit eleemos. virtus

Expellitur virginitas si eleemosynam non habeat. Nihil verò tam est voluntas Dei, quàm quod proximo fit vtile.

Hom. 60.

Eleemosyna peccata purgat, cœlos aperit, & virginitate magis necessaria est.

Et

ET certè virginitas plus habet laboris, quàm ieiunium,& reliqua sancti propositi austeritas: Verum nihil tantum habet virium ad extinguenda peccatorum incendia quantum eleemosyna: Hæc nempe maior est omnibus.

In Cap. 5. ad Tit. Hom. 6. Vis eleemos. ad extinguenda peccata est maior quàm virginitatis, & ieiunij.

NAm eleemosyna, neglecta quãuis virtutis quædam pars, non ipsa vniuersa virtus sit; in gehennam tamen facile intrusit. Nam & virgines, quia ipsam non habuerunt, punitæ sunt, & diues hac de causa torquebatur, & qui esurientem non cibarunt, vna cum diabolo condemnantur.

In Matth. ca. 19. Hom. 65.

SIcut mortuos excitare, & dæmones effugare, & leprosos mundare gratiæ opus est; sic etiam pauperes iuuare, & indigis manum porrigere: immo multo magis hoc quàm illud.

De eleemos. & collatione in sanctos. Opus super naturale eleemos. vt cætera miracula.

SI absque eleemosyna ieiunes, nec ieiunium quidem hoc reputatur: cum ventris seruo ac temulento, qui ita ieiunat deterior fit; tantoque peior quantò crudelitas delitijs nequior est. Cur de ieiunio ita loquor, cùm ipsa castimonia, & virginitas eleemosyna carens ex thalamo sponsi eijciatur. *Et post pauca.* Quod si ita est, sicut certè est, quis eleemosyna contempta, veniam impetrabit? Nullus profectò, sed perire necesse est eum qui eleemosyna caret, *&c.*

Ex Hom. 78. In Matth. c. 24. sub finé. Ieiunium sine eleemosina quid.



On intres ante conspectũ Dei tui vacuus] Vacuus aũt intrat ante Deum, qui veniens ad orationẽ nullam eleemosynam facit. Non solum in veteri testamento, sed etiam in nouo præcipitur, vt per singulas septimanas vnusquisque Christianus aliquid in gazophilacium mittat ad orationem venturus, sicut

Ex Hom 15. in Matth 6. In opere imperfecto paulò post initium. Ante conspectum Dei nemo intret vacuus.

ait Apostolus: Vnusquisque vestrum per singula sabbata, quod illi placuerit, apud se reponat, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Item dicit Salomon: Ante orationem præpara animam tuam. Ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernæ, ita, & bona opera excitant fidem cordis & dant confidentiam animæ apud Deum orandi. Ergo eleemosyna præparatio est orationis, *&c.*

De pœnitentia. Hom. 9. eleemosynæ efficacissima vis.



Eleemosyna regina virtutum, homines celerrimè in cœlorum axes adducet, aduocati optimi loco fungens. Magna res eleemosyna, præcedit aerem, transit lunam, solis radios excedit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos, ad Angelorum populos decurrens, Archangelorumq; choros, & omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno. Quod ex ipsa disce scriptura. Corneli, Eleemosynæ, inquit, & orationes tuæ ascenderunt in conspectu Dei: Tametsi multa habueris peccata, aduocatrix eleemosyna est, ne timeas: Nulla enim super omnibus virtutibus huic se se opposuerit. Christum requirit, quem ipsa lucrifecit proprijs in manibus baiulans: ipsius enim Domini est vox, Siquis fecerit vni ex minimis his, mihi fecit: Ita ergo quotquot talia habueris peccata, eleemosyna tua omnibus est grauior.

Quanti potes, tanti eme: habes denarium, eme cœlum: non quod venale sit cœlum, sed quod clemens sit Dominus Da panem & accipe paradisum.

Parua da, & magna suscipe.
Da mortalia, & immortalia recipe.
Da corruptibilia, & incorruptibilia accipe.

Facias


IS frui gloria, facias eleemosynã, tũc te Angeli laudabunt, tunc Deus accipiet. Nunc aut aurifices tantum & textores admirantur; Tu [*mulier*] iñ gloria circũferris, & nonnunquã maledicta audis, & reprehensiones. Quod si quæ in vestibus consumis, cõferres ĩ pauperes, multus te vbiq; plausus multæ laudes sequerentur. Tunc ea haberes si aliis dares. si tibi seruas, minimè habes. Incertus eñ thesaurus domus propria; certus autem thesaurus pauperũ manus *&c.*

In Ioann. ca. 12. Hom 68. non procul a fine Eleemosynæ fructus.

DA inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris, quoniam pœnitentia sine eleemosyna mortua est,

De Pœnitentia, Hom. 5.


Es Deo pecunias tibi iam inutiles, & quarum non es dominus: & tibi regnum confert tibi semper vtile futurum, & cum eo simul omnia, quæ hic sunt necessaria largietur: Nam si filiorum cohæres fuerit, ipsis orbitatem releuat, soluit insidias, infestationes repellit, calumniatorum obstruit ora, & si ipsi testamenta tueri nequiuerint, ipsa tuebitur, nec sinet discindi.

Hom. 25.

QVi miserebitur, hilariter miserebitur: sibi enim ipsi dabit, & qui dabit, largitur, & copiosè dabit: sibi enim ipse dabit.

In epistol. ad Rom. cap. 12. serm. 21.

Sibi dat, qui pauperi dat.

ELEEMOSYNA artifex magna, amica Dei, pro quibuscunque voluerit, facile gratiæ munus impetrat, magnam præstat confidentiam tribuentibus eam: interuenit etiam pro delinquentibus: Tanta est eius virtus, tantaque potenria, sed etiam vincula peccatorum dissoluit, fugat tenebras, extiguit ignem, mortificat venenum, expellit stridorẽ dentium. Huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, & veluti regina

In epistol. ad Philipp. cap. 12. Serm. 4.

Magna artifex eleemos.

gina intrante, nullus ianitor, nullus custodum, qui portis assistunt, audet dicere. Quæ tu es? vel vnde? sed omnes eam e regione suscipiunt.

Ad Tit. cap. 4. Hom. 6. Mater charitatis eleemosyna.

ELEEMOSYNA charitatis est mater. Hæc nostrorum scelerum medicina est. Hæc animæ nostræ sordes emundat. Hæc scala quæ in cœlum vsque porrigitur. Hæc Christi connectit corpus

Ex varijs in Matth. locis, Hom. xi. non longe a fine.

Præmium eleemo nimis magnum.



Vdite orantem prophetam, & dicentem, Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Reddite quod accepistis; accipite quod non habetis. Habes pietatem, fac pietatem. Habes nummum, compara cœlum. Habes vestimentum, indue nudum vestimento. Das hospitium, accipe mansionem in cœlo. Vide si est comparatio. Das res corruptibiles, das temporales. accipis æternas. Das te dimissuras res, accipis in æternum possidendas, &c.

In Gen. Cap. xi. Hom. 31. Fructus.

Nihil enim prorsus ita nos eximere potest a gehenna ignis, atque largitas eleemosynarum.

Ex Hom. 25. in Act. Apost. Cap. xi. non procul a fine.

Non est peccatum, quod non possit purgare eleemosyna, quodue non possit extinguere.

In Gen. Cap. 13. Hom. 34.

NVllum omnino aliud bonum sic poterit restinguere peccatorum nostrorum incendiũ, vt eleemosynæ largitas. Ista & peccatorum nostrorum abolitionem operatur, & magnam nobis fiduciam conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis tunc bonis frui liceat.

In Ioan. ca 2 Hom. 22.

IMpossibile enim, impossibile inquam est, & si innumera faciamus bona, sine eleemosyna, cœlestis regni vel

vel vestibulum quidem attingere; quamobrem multa in pauperes vtendum est liberalitate.

Sed quid innumeris est pretiosius pecunijs? Eleemosyna. Hom. 35.

Magnum omnino facere eleemosynam. In Matth. ca. 6. Hom. 19.

Nihil ita designat, & describit Christianum, sicut eleemosyna. Ad Hebr. ca. 12. Hom. 33. Signum Christiani eleem.

Nihil adeo Deũ irritat, atq; immisericordem esse. Ad Philip. ca. 2. Serm. 4. Immisericordia irritat Deum.

Nihil eleemosynæ par est. In Act. Apost. Cap. x. Ho. 21.

Magna res eleemosyna, cui nihil æquale.
Nihil æquè Deum delectat, atque eleemosyna. Ad Philip. ca. 1. Serm. 11.

Vera eleemosyna est, sic dare, vt gaudeas te dare: putes te accipere magis, quàm dare. Non enim tam pauperibus, quàm nobis profumus, plura accipientes, quàm dantes. De eleemosyna, & collatione in sanctos. Mod' & finis dandę eleem.

Nihil est enim dignius, quàm vt homo sit sui authoris imitator, & secũdum modum propriæ facultatis, diuini sit operis executor. Nam cùm aluntur esurientes, vestiuntur nudi, fouentur infirmi; nonne auxilium Dei manus explet ministri, & benignitas serui, munus domini? qui, cùm ad affectus misericordiæ suæ, adiutore non egeat; ita suam omnipotentiam temperauit; vt & laboribus hominum per homines subueniretur; & meritò Deo gratiæ referrentur de pietatis officijs, cuius opera viderentur in famulis. Ex Serm. 5. de Quadrag. Hominẽ sui auctoris. i. dei imitatorẽ ẽe cum eleemosynam dat.

Si ad

Cardinem cœli attingit cum quis ad pauperū manus extendit manum

Si ad pauperum manus extendas manum, ipsum cœli cardinem attigisti. Nam qui illic ſedet, eleemoſynam accipit.

Ex Homil. 51 in Matth. ca. 14 nō longè a fine. Pulchrum de corp. Chri, & de mēbro Chriſti.



VIs corpus Chriſti honorare? non deſpicias ipſum nudum neque hic quidem in eccleſia ſericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit. Hoc eſt corpus meum, &c. idem dixit. Eſurientem me vidiſtis, & non cibaſtis. *Et poſt nonnulla.*

Quicquid benignè in fratrem feceris, nec diabolus ipſe poterit vnquam eripere, ſed manet theſauris æternis reconditum, &c.

In epiſt. ad Rom. Ca 12. Serm 21.

Dilectio ſi adſit ſine ſimulatiōe, nō ſentitur ſumptus pecuniarum.

DIlectio inquit, ſine ſimulatione ſit; hanc ſi habueris, neque pecuniarum ſenties ſumptum, neq; corporis laborem, neque moleſtiam verborum, neque miniſterij ſudorem, ſed omnia generoſè feres, ſiue corpore, ſeu pecunijs, ſeu ſermone, ſeu quouis alio, proximo ſuccurrendum ſit.

Ex Hom 89. ſ illud Matth. 27 Erat autē Maria Magdalena, & altera Maria.

Siue huic pauperi, ſiue ipſi Chriſto dederis tantundem eſt.

CErtè ſi ipſum Chriſtum nunc videretis, non dubitaret vnuſquiſque veſtrum vniuerſam ſubſtantiā erogare. *& poſt pauca.* Non audis dicentē: Quod vni ex minimis meis facis, mihi facis? Nihil nempe intereſt, ſiue huic pauperi, ſiue ipſi Chriſto dederis, &c.

Ex Hom. 78. in Matth. 24. poſt mediū.

Ex debito vnumquēq; teneri eſſe diſpen-

DIſpenſator tu es pecuniarum tuarum, non minus quam qui Eccleſias gubernant; Quemadmodū igitur illi nō habent poteſtatem ea, quæ a vobis collata ſunt pauperibus, temerè diſpergere quandoquidem ad alimenta pauperū conſtituta ſunt, pari tu quoque modo, non debes temerè tua conſumere. Nam, & ſi paternam hæreditatem accepiſti, atq;

ea ra

ea ratione quæcunque habes, tua fiunt: Dei tamẽ sunt vniuersa. Deinde si tu diligenter, quæ dedisti; vis dispensari. Deum autem non arbitraris maiore acrimonia à nobis rationem dispensationis petiturum, sed laturum, vt perperam cuncta disperdantur: non est ita, non est, Ideo etenim & apud te pecuniam esse passus est, vt alimenta pauperibus in opportunitate concedas. Quid est porro in opportunitate? Cum egeant, cùm famescant. Sicut igitur tu conseruo ad dispensandum dedisti, sic Dominus tibi, vt opportunè impendas. Cumque possit auferre, relinquit tamen, vt virtutis exercendæ habeas facultatem, vtque altero alterius egente, feruentiore omnes inter se charitate vinciret. *& post pauca.* Non enim accepisti, vt deuorare habeas, sed vt ad eleemosynam vtaris. An forsan tua te credis habere? Res pauperum tibi credita est, etiam si laboribus iustis, etiam si hæreditate paterna in te peruenerit. Num putas non potuisse Deum abs te hanc pecuniam auferre? Sed ideo non fecit, quia te dominum esse vult benignitatis erga pauperes. Tu autem diligenter perpende quo modo in omnibus ferè parabolis ille ponitur, qui sua pecunia probè vsus non est Nam neque virgines aliena rapuerunt, sed sua nõ erogauerunt; neque qui talentum suffodit, aliena inuasit, sed quia nihil addidit: neque qui esurientem prætererunt, propter alienorum rapinam cruciantur; verum quia sua quemadmodum & hic seruus, nõ seminauerunt. Audiamus igitur quicunque ventri seruimus, quicunque ad opiparè comparandas cœnas, pecuniam consumimus, quæ non nostra, sed indigentium est. Noli enim, quoniam magna Domini benignitate, quasi tua erogare iussus es, idcirco etiam tua arbitrari: mutuò tibi concessit, vt probitatem inde quæras. Noli ergo putare tua esse, quæ habes, sed quæ Domini sunt,

spensatorem suæ pecuniæ vt qui ecclesiastica ad ministrant.

Quomodo rectè nostra dispensabuntur.

Parabolę domini contra eos qui pecunia rectè nõ sunt vsi.

Domino præbe. nec enim etiam si tu cuipiam mutuò cōtulisti, vt aliquid inde lucrari possis, illius pecuniam esse assereres. Similiter ergo Deus tibi pecuniam tradidit, vt cœlum merceris; quare non est benignitatis suæ cumulus ingratitudine tua euertendus. Veniat in mentem tibi quàm optabile erat homini post baptismum remissiones peccatorum inuenire, si eleemosyna ad delenda peccata non esset concessa. O quot homimines dicerēt, vtinam possemus pecunijs a futuris nos malis redimere: nunc vero cùm hoc per eleemosynam facere possint, torpent rursus, & decidūt. Sed præbeo, inquies: quid præbes? nunquam certè dedisti tantum, quantum mulier illa, quæ duos obolos erogauit; immo vero nec mediam quidem partem, nec submultiplicem eius, quod illa obtulit, præstitisti: sed inani vniuersa sumptu eijcis, magnifica conuiuia, & potationes inebriantes excogitas: modò tu alios vocas modò vocaris ab alijs. Ita nunc tu consumis, nunc alios consumere cogis, & duplicem tibi præparas cruciatum, alterum ab his, quæ tu; alterum ab his, quæ alij hortatu faciunt tuo: Vide igitur hunc quoque famulū, quoniam edat, & bibat cum temulentis, accsari; non enim istos solū, verùm etiam eos, qui cum illis viuunt, torquebit; nec iniuria quidem. Nam & seipsos corrumpunt, & proximorum salutem negligunt. Nulla verò re alia Deus magis irritatur, quàm si proximi commoditatem despicias, quapropter vt iram in istos ostendat, in duas incidi seruum illum partes imperauit.

Ex Lucę cap. 16. concione 3. de Lazaro post mediū. Rapina ē nō facere eleemosynā.

SI quidem & hoc rapina est, non impartiri de tuis facultatibus. Ac fortassis vobis mirum videtur esse, quod dico, verùm ne miremini: Testimoniū enim vobis e diuinis scripturis proferam dicens, quod non solùm rapere aliena, verumetiam tua non impartiri

ceteris

ceteris,& rapina fit,& fraudatio, & spoliatio. Itaque Dominus Iudæos accusans per prophetam dicit: Produxit terra prouentum suum,&non intulistis decimas,sed rapina pauperis est in domibus vestris. Quoniam inquit,oblationes solitas nõ dedistis rapuistis ea,quæ sũt pauperis: hoc autem dicit declarans diuitibus, quòd res pauperum possident, etiam si paterna hæreditate obuenerint,etiam si vndecunque aliunde collegerint pecunias. Ac rursum alibi dicit. Ne spolies vitã pauperis: qui verò spoliat, aliena tollit: Nam spoliatio quædam dicitur,quum aliena accepta detinemus. Propter hoc igitur discamus, quòd quoties eleemosynam non præstiterimus,pari cum his,qui spoliant, supplicio afficiemur. Heriles enim pecuniæ sunt vndecunque eas collegerimus,& ideo tibi plura possidere concessit Deus,non vt in scortationes,temulentiã,ingluuiem,in vestes sumptuosas,aliamque molliciem consumeres; sed vt ea distribueres egentibus. Quemadmodũ enim receptor quispiam,qui regias pecunias accepit, si neglexerit his,quibus iussus est,distribuere, inque proprias consumpserit delicias, pœnas dat, ac perditur: ita sanè & diues, receptor quispiam est pecuniarum, quæ pauperibus distribui debebant. Itaque cum in mandatis habeat eas distribuere suis conseruis egentibus, si quid amplius quàm postulet necessitas,in seipsum insumpserit, grauissimas illic daturus est pœnas. Nõ enĩ sunt ipsius,quæ possidet,sed conseruorum illius. Parcamus igitur ijs tanquam alienis,vt fiant nostra.

Pecunias omnium esse iussit,non solum possidẽtiũ. In cap. ad Hebræos 11. homilia 33.

Pecunias contemnamus, ne a Christo condemnemur. contemnamus pecunias, si enim eas hic custodimus, Ad populum Antiochen. contra eos qui deliciis

vadant. De Charitate homilia 53.

mus, eas õnino perdemus & hic & illic. Si verò multa cum largitate dispensamus, multã in vtraq. vita felicitatẽ assequemur. Qui vult itaq. diues fieri, fiat pauper, vt diues euadat: expẽdat, vt colligat, dispergat, vt cõgreget. At inquies, Infantiũ me cœtus circũstat, & illos diuites relinquere cupio: Quam igitur ob rem eos facimus pauperes? Nam si ipsis quidem omnia dimittas, periculosæ rursum custodiæ, tua cuncta commendasti. Si verò Deum eis relinquas hæredem & tutorẽ, innumeros reliquisti thesauros. Si vis itaque multas filijs diuitias relinquere, Deo relinque tutelam.

Innumeros reliquit thesauros suis, qui eis Deũ relinquit tutorem.

De pœnitentia hom 7.

Hæreditas magna filijs ex eleemosyna.

ET quid pueris inquit relinquam meis? Nam & tũc pueros fecisses ditiores pro pecunia, cum Deum ipsis propitium reliquisses: atque ex eleemosyna lucrum fertilitatemque haberes. Non enim huiusmodi pueros despiciet Deus. Haud itaque existimate substãtiam his minorari eleemosynæ amore, & opera. Multiplicabit enim ipsis firmitatem, quæ secundum Deum est bonæ voluntatis, si eas hoc inprimis ipsis depositũ facies: si autem inopiam timuisti, & is superuacuus est timor.

De pœnitentia Hom. 9.

Cupis hæreditatem bonam filijs relinquere? Eleemosynam relinque.

In epistolã ad Ephesios. 2. Hom. 4.

Væ, eleemosynas & pietatis opera non exercenti: Nulla nãque, nulla venia est eleemosynas nõ faciẽti.

In ca. Matth. 25. Hom. 79.

Omnes ad eleemosynam capescendam cõcitamus, & quibuscunque modis possumus, cum non sit possibile aliter saluari.

In ca. Matth. 5. homil. 12.

Diuitiæ nostræ non sunt, sed Dei: Deus enim dispẽsatores diuitiarum nos voluit esse, non dominos.

Non

NOn frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia spiritus disposuit, volens, vt nos mutuo iuuemus; vnde enim vtilitatem accipiet ille per te, & tu per illum? contemptis opibus inductus es ad faciendum aliquid generosum: & tu illi salutis, & ipse tibi eleemosynæ factus est author. Ne dubita quia erit aliquis fructus suauis.

In act. Apost. Hom. 31.

Eleemosyna pro defunctis vtilis.

CAP. DECIMVM TERTIVM.

Ex D. Gregorio Nazianzeno.

Ex orat. 16. de paupertate fouenda, siue de pauperum cura, non procul ab initio.



CHARITAS prima inter mandata, & maxima, tanquam caput legis, & prophetarum est censenda. at huius partes potissimas esse inuenio, curã pauperũ, & erga cognatos misericordiam, ac compassionem. nulla enim ex omnibus re Deus perinde ac misericordia colitur, quoniã nil aliud tam peculiare est Deo, quam illa, ante quem misericordia & veritas gradiuntur, & apud quem misericordia iudicio præponderat; Clementia enim nulli rei magis quam clementiæ retribuitur, ab eo qui iustè iudicat, & misericordiam in statera ponderat. Quapropter omnibus pauperibus misericordiæ viscera sunt aperienda, ob quamcumque etiam causam affligantur, iuxta mandatum, quod gaudere iubet cum gaudentibus, & flere cum flentibus. ac quum homines simus, hominibus quoque probitatis symbolum exhibere tene-

Charitas similem hominẽ facit Deo

Flendũ cum flentibus, qui cũq; illi sunt, & ob quaslibet causas.

tenemur, si vel propter viduitatem indigeant. aut parẽtũ desolationẽ, siue patriæ expulsionem, vel dominorũ crudelitatem, seu principum ferociam, aut quæstorum inhumanitatem, siue latronum cædes, vel furum insatiabilitatem, seu bonorum publicationem, aut naufragium. Omnes enim commiseratione sunt digni, ac non secus ad manus nostras respiciunt, quàm nos, cum quid indigemus, ad manus Dei. &c.

Ibidem. ante medium.



VID nos autem qui magnum & nouum nomen hæreditate sumus adepti, vt a Christo appellemur gens sancta, sacerdotium regale, populus acceptus & electus, bonorum ac salutarium operum æmulator, discipuli Christi, mansueti illius & pij, & qui iniquitates nostras portauit, qui seipsum vsque ad nostram humiliauit massam, qui propter nos carne hac vili, et tabernaculo terrestri factus est pauper, pro nobisq; doluit & languit, vt Deitate locupletaremur; Quid nos igitur qui tantum misericordiæ, & compassionis exemplum accepimus? quid inquam de his cogitemus, & quid faciemus? despiciemus ne? prætergrediemur? relinquemus eos tanquam mortuos? tanquã abominabiles? tanquam serpentium & ferarum pessimos? Nequaquam fratres, non enim nos hoc decet, qui Christi oues sumus pastoris illius boni, qui errantem conuertit, & amissam quærit, & debilem confortat. id enim nequaquam naturæ est humanæ, quæ compassionem lege statuit, pietatemque, & humanitatem ex æquali imbecillitate didicit. Cæterum ij sub dio affliguntur, nos vero domus inhabitamus splendidissimas, lapidibus omniphariis vernãtes, auro & argento fulgentes, pauimentis tessellatis, & vermiculatis; necnõ picturæ varietate oculos fallaciter inescantes: & has quidẽ inhabitamus, alias vero ædificamus; & quibus?

Exemplum efficax ad eleemos. faciẽdã.

forte

forte nec hæredibus nostris,sed alienis, ac peregrinis, & qui fortassis nos non amāt,sed inimicissimis ac odio sissimis, quod quidem malorū est extremum &c. Nos splendidi, splendidè in lecto sublimi & alto, stragulisque superfluis, ac quæ nec attingimus, instructi recūbimus: & si vocem audimus mendicantem, indignamur. Quin, pauimentum nostrum odoriferis tegi oportet floribus,idque sæpius, & extra anni tempus: mensam autē vnguentis,ijsque fragrantissimis,ac diuersissimis quò magis effæminemur, inspergi: Puerosque adstare, quosdā ornatu decoro, comaq; prolixa & effœminata, ac circa faciem plus curiosè attonsa quàm conducit ijs, qui splendidis oculis sunt decorati: alios autem calices summis tenere digitis,quantum possibile est decentissimè,pariter, & tutissimè. quosdam verò flabelli motu, ventum capiti artificiosè suscitare, & manufactis auris carnis molē refrigerare: carniū præterea multitudine mēsam onerare oportet, quas nobis largè omnia suppeditant elementa,aer,tellus,aqua,ac coquorum,& obsoniorum commentis repleri: vnumque omnibus certamen esse, quinam potissimum gulæ nostræ adulari possit;ac ventri ingrato oneri illi,molesto,& malorum autori,nec nōn bestiæ insatiabili, & perfidissimæ cum cibis euacuandis mox euacuādæ. Et pauperibus,quidem magnum quiddam est aquæ satiatas,nobis vero ad ebrietatem vsque vini exhauriuntur crateres,seu potius vltra ebrietatem etiam intemperantibus:& hoc quidem respicimus,illud autem tanquam odoriferum approbamus; de isto verò philosophamur,ac iactura censetur si non exoticum, & generosum aliquod ad indigenum tanquā tyrannis accedat. Oportet enim vt vltra vsum,& delicati vel simus vel videamur,tanquam erubescamus si non mali,ventris,& eorū quæ sub ventre sunt, serui censeamur. &c.

Nota qui ædificas.

A tām multis quę super uacuē paramus pro corporibus nr̄is incitari nos debere ad faciendam eleemosynam.

Cur

Et post pauca.

Cur nō adiuuamus natu-

Cur non adiuuamus naturam? cur non quum carnei simus, carnis humilitatem exornamus? cur in fratrū afflictionibus delitiosè agimus? ne mihi accidat, vt dum illi egent, ego vel ditescam, vel rectè valeam, nec illorum succurram vulneribus. non alimenta habeam necessaria, non tegmina, non sub tecto quiescam, nisi panem porrigam, nisi pro facultatibus meis vestimenta impartiar, nisi in domo excipiam. omnia enim Christo reponenda sunt, quo sub lata cruce, ritè illum sequamur, ac leues & expediti ad mundum subuolemus supernū, a re nulla detracti, & pro omnibus lucremur Christum, propter humilitatē exaltati, & propter paupertatem locupletati. aut ideo facultates nostræ cum Christo sunt diuidendæ, vt possidere, tanquam per bene possidere sanctificetur, & non habentibus sit commune. si verò mihi soli seminauero, seminabo quidē, sed alij comedent: & vt iterū Iob verba adducam; pro frumento orietur mihi vrtica, pro hordeo verò spina, ventus quoque vrens auferet, & tempestas meos surripiet labores, ita vt laborauerim in vanum, si autem horrea ex mām̄ona ædificauero, mām̄onam thesaurizans, eadem nocte anima mea repetetur, vt rationem reddat pro ijs, quæ malè thesaurizauit; Nūq̄ igitur vel tardè resipiscemus? nunquam ne stoliditatem, ne dicam pusillanimitatem, abijciemus? nunquam ne res humanas considerabimus? nunquam ne ob calamitates alienas res nostras melius disponemus? nihil enim in rebus humanis stabile est natura, nihil plenum, nihil satis, nil quod in eisdem subsistat, sed circulus quidam res nostras circumrotat, aliasque aliter fert mutationes sæpius in die vno, nonnunquam etiam in hora: ac ventis potius credendum est instabilibus, necnon vestigijs nauis per mare currentis, nocturnisque somniis fallacibus, quorum gratia citò euanescit, & ijs quoque quæ

Mali fructus ex malè partis.

Pulchræ cōparationes cur parū pro speciatim humanæ credēdum sit.

quæ pueri ludentes in arena fingunt;quam prosperitati humanæ.Prudenter igitur agunt,qui nequaquam rebus confidunt præsentibus,sed in futurum sibi thesaurizant,& propter humanæ prosperitatis instabilitatem & inæqualitatem,bonitatem,quæ nunquam est casura,amant,quò omnino ex tribus vnum lucrentur: vel quod nunquam infortunatè agant, quoniam sæpius numen pijs hominibus huius seculi bonis commodare solet,quò benignitate sua misericordiam prouocet: siue vt audacter in Deo confidant,tanquam non propter malitiam,sed dispensationem quandam affligantur:aut demum,vt ab ijs quibus benefecerunt humanitatem,qua,cum fortunatè agerent, indigentes sunt prosequuti,tanquam æs repetere valeant alienum. ait n.ne glorietur sapiens in sapientia sua,nec diues in diuitijs suis,neque potens in viribus suis,etiam si hic ad sapientiæ,ille autem diuitiarum,at iste potentiæ summũ peruenerit:quibus ea quoque,quæ his adhærent, addiderim,scilicet ne in gloria glorietur is, qui est conspicuus,nec rectè valens in sanitate, neque formosus in pulchritudine,non adolescens in iuuentute; denique vt breuiter dicam,nemo re vlla quæ in hoc mundo habetur laudabilis,infletur;sed in hoc solo glorietur, vt Deum intelligat,& quærat,patientibusque condoleat, ac in futurum bonum aliquod sibi ipsi reponat,præsentia enim fluxa sunt,& temporanea,& tanquam in calculorum ludo alias aliter traijciuntur, & transponuntur,ac nihil tam proprium habent,vt id non cum tempore desinat,siue ab inuidia haud immutetur. hæc autem stabilia sunt,& permanentia,nec vnquam euanescunt,aut intercidunt: neque spes decipiunt credentium.quapropter nihil mihi hominibus ex præsentibus bonis tutum,siue diuturnum esse videtur &c.

Instabilitatis humanę cum calculorũ ludo cõparatio.

O Pessi lea-

Ibidem post nonnulla. Possideamus animas nr̄as in eleemosynis.


Ossideamus animas nostras in eleemosynis, impertiamur pauperibus ex bonis nostris, quæ hic possidemus, vt ditemur illis, quæ illic sūt: da partem & animæ, ac non carni solum; da partem & Deo, ac non solum mundo. aufer aliquid a carne, idq; sanctifica spiritui: rape aliquid de igne, & longè remoue a flamma depascente. rape a tyranno, & concrede domino. da partem septenario vitæ huius, sed & octonario vitæ quæ nos post hanc excipiet. da parum illi, a quo plura habes. da omnia ei, qui tibi omnia gratificatur. nunquam magnificentiā Dei superabis, etiam si cūcta quæ possides relinquas, etiam si facultatibus tuis te ipsum adijcias, siquidem deo dare, accipere est. quātumcumque enim attuleris, semper plus est reliquum, & nihil dabis proprium, quoniam omnia sunt à Deo. nam quemadmodum impossibile est, vt quis vmbram suam transcendat, quæ illum vbique concomitatur, & semper, quantumcunque progrediatur, sequitur; seu corporis statura, capitis altitudinem, quæ supereminet semper, exuperat: ita nec illis, quas expendimus, rebus, deum superare valemus nihil enim illi, præterquam sua damus, neque quæ illius excedant liberalitatem &c.

Pulchrum.

Et si nos nostraq; in eleemosynam demus nunquā magnificētiā Dei superabimus.

Simile.

Non multò pòst.


V qui sanus es, qui diues es; tu qui non collapsus es, iacenti & contrito subueni; qui lætus es, contristato; qui dextra polles, illi qui sinistra languet. da aliquid Deo, quò te gratum ostendas, ac inter illos recenfearis, qui benefacere possunt, & non eos, qui beneficio indigeant, quò non in alienas manus respicias, sed alij in tuas. non substantia solum ditescas, sed & pietate: non solum auro, sed & virtute. vel ideo melior appareas, quò propinquo honorabilior fias, fias infortunato De⁹, misericordiā Dei imitando,

Nō substātia solū ditescamus sed & pietate; nō solum auro sed & virtute.

Quomodo hō fit Deus.

tando. nihil enim adeo diuinum habet homo, quam benefacere.



Qvamdiu vento nauigas secundo, manum naufrago præbe. Quamdiu rectè vales, & diues es, afflicto succurre. ne expecta donec ex te ipso discas, quantum malum sit inhumanitas, & quantum bonum viscera aperire indigentibus. ne velis deum manum leuare contra supinos, & prætercurrentes; sed in alienis calamitatibus hæc disce. da parum quid indigenti, non enim paruum est ei, qui omnium est egenus. immo nec Deo, si pro viribus dederis. Da pro magno promptitudinem, si nihil habes vel lachrymulam. magnum remediũ est afflicto misericordia, quæ ex animo procedit. compassio enim vera multum calamitatem subleuat. &c.

Ibidē versus finem.

Ne expectemus, donec ex nobis ipsis ditescamus q̃tum malũ sit īhumanitas.

Qui paupere res sunt, quomò possunt facere eleemosynas.

Ne dicas, reuertere, & cras tibi dabo. nihil medium inter conatum, & beneficium fiat, frange esurienti panem tuum, & pauperes tecto carentes in domũ tuam inducas, idque cum alacritate: qui enim miseretur, inquit, cum hilaritate, & bonũ animi promptitudine duplicatur; quod enim cum tristitia, aut ex necessitate datur, ingratum est & indecorum, beneficentia verò cũ lætitia, & non cum mæstitia est adornanda. Si abstuleris, inquit, vinculum, & electionem (vilitatē, & censuram illam dico, siue ambiguitatem, & murmurationis verba) quid fiet? tanquã magnum quid, & admirabile, qualis & quanta huius erit merces. Erumpet lumen tuum temporaneum, & sanitates tuæ cito orientur. Quis igitur lumen, & sanitatem non desideraret? sed & Christi loculos veneror, qui vt pauperes alamus, nos hortantur: necnon Petri & Pauli in hac re adstipulationem: nam quum euangelium diuiderent, pauperes fecerunt communes: necnon adolescētis illius per

In fine.

Maxima misericordię merces.

Non folú voluntaria, fed & neceſſaria humanitas.

fectionem, quæ in hoc definitur, ac tanquam lege roboratur, vt bona noſtra inter pauperes diſtribuamus, ſed tu forſitan nequaquam neceſſariam, ſed voluntariam humanitatem eſſe putas: quod & ego potiſſimum cuperem & ſuſpicari vellem, ſi me non perterreret manus ſiniſtra, & hædi, & quæ a iudice exprobrantur. non enim quod rapuerint, non quod prædati fuerint, non quod ſint mœchati, aut aliud quid prohibitum fecerīt, ad ordinem hunc ſunt damnati; ſed quia Chriſtum per egenos non ſunt venerati. Si igitur mihi obtemperabitis, ſerui Chriſti & fratres ac cohæredes, dum adhuc tempus eſt, Chriſtum viſitemus, Chriſtū alamus, Chriſtum veſtiamus, Chriſtum colligamus, Chriſtum honoremus, non menſa ſolum, quemadmodū nōnulli facere ſolent; non vnguentis, ſicut Maria, non ſepulchro ſolum, inſtar Ioſephi Arimathæi; nec alijs funeribus, vt Nicodemus, qui ex dimidia parte Chriſtum diligebat; neque auro, thure, & myrrha, veluti, præ iam enumeratis, magi. Sed poſtquam omnium dominus miſericordiam vult, & non ſacrificium; & ſuper multos agnos pingues commiſerationem; hanc illi per egenos, & in terram hodie proiectos offeramus, vt, quū hinc migrauerimus, in æterna nos tabernacula ſuſcipiant, in ipſo Chriſto Domino noſtro, cui ſit gloria in ſecula. Amen.

Cap. Quartumde-

CAP. QVARTVMDECIMVM.

Ex D. Basilio.

xx Serm 2. in diuites.



Vid respondebis iudici tu qui parietes vestis, hominem nudũ finis; qui equos ornas, fratrem in turpi amictu contemnis; qui frumentum putrescere finis, esurientes non nutris; qui non aperuisti domum repudiaberis a regno, non dedisti panem, non accipies vitam æternam.

Pulchrima ^{s} tithesis cõtra eos, qui pauperes cõtemnunt.



N iniustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? cur tu abundas, ille vero mendicat? nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris: Ille verò patientiæ brauijs decoretur. At tu nõne spoliator es, quæ dispensanda suscepisti, propria reputando? est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conseruas, discalciati calceus, qui penes te marcescit, indigentis argentum, quod possides. Quo circa tot iniuriaris quot dare valeres.

Hom 1. ad diuites.

1 Quorum bona De$^{\circ}$ nobis dederit.

CAP. QVINTVMDECIMVM.

Ex D. Cypriano:

De opere & eleemosynis.



I vereris, & metuis, ne si operari plurimũ cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris; esto in hac parte intrepidus, esto securus. si iri non potest vnde in vsus Christi impenditur, vnde opus cœleste celebratur. nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sancta

Nunquã eleemosynis faciẽdis hominẽ fieri pauperiorem, quin verò & familijs, & filijs vberiorẽ hæreditatem relinqui.

rum ſcripturarum fidei& diuina pollicitationis auctoritate. Promitto, loquitur per Salomonem Spiritus ſanctus, & dicit, Qui dat pauperibus, nũquam egebit; qui autem auertit oculos ſuos, in magna penuria erit.



Ed enim multi ſunt in domo liberi, & retardat te numeroſitas filiorum, quo minus largiter bonis operibus inſiſtas: atqui hoc ipſo operari amplius debes, quò multorum pignorum pater es: Plures ſunt, pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda ſunt: multorum purgandæ conſcientiæ: multorum animæ liberandæ. Vt in hac vita ſeculari alendis, ſuſtinendiſque pignoribus, quò maior eſt numerus, hoc maior & ſumptus eſt: ita & in vita ſpirituali, atque cœleſti, quò amplior fuerit pignorum copia, eſſe & operum debet maior impenſa.

SI verè filios tuos diligis, ſi eis exhibes plenam, & paternam dulcedinem caritatis, operari magis debes, vt filios tuos Deo iuſta operatione commendes. Nec cum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius, & infirmus eſt. Sed illum pares, qui æternus, & firmus filiorum ſpiritualium pater eſt, illi aſsigna facultates tuas, quas hæredibus ſeruas, ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias ſeculares diuina maieſtate protector. Patrimonium Deo creditũ nec Reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis euertit: in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſeruatur. Hoc eſt caris pignoribus in poſterum prouidere: hoc eſt futuris hæredibus paterna pietate conſulere, ſecundum fidem ſcripturæ ſanctæ dicentis: Iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, neque ſemen eius quærens panem. Tota die miſeretur, & fœnerat, & ſemen eius in benedictione erit. & iterum. Qui conuerſatur ſine vituperatione in iuſtitia, beatos poſtea filios relinquit.

CAP. SEXTVMDECIMVM.

Ex Actis Apostolorum.


N Ioppe autẽ fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat. Factum est autẽ ĩ diebus illis, vt infirmata moreretur, quam cũ lauissent, posuerunt eam in cœnaculo. Cùm autem prope esset Lydda ab Ioppe, discipuli audiẽtes quia Petrus esset in ea, miserũt duos viros ad eum rogantes. Ne pigriteris venire vsque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cũ illis, & cùm aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flẽtes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum erexit eam. Et cùm vocasset sanctos, & viduas, assignauit eam viuam. Cap. 9.


IR autem quidam erat in ciuitate, nomine Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. Is vidit in visu manifestè quasi hora diei nona, Angelum introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, in conspectum Dei. Cap. 10.


MNIA ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniã ipse dixit, Beatius est magis dare, quàm accipere. Cap. 20.

Decimumsepti-

CAP. DECIMVMSEPTIMVM.

Ex Epistolis D. Pauli, Iacobi, & Ioannis.

2. Cor. 8.



CITIS enim gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniã propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Et consilium in hoc do; hoc enim vobis est, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & proficiendi ex eo, quod habetis. Si enim voluntas accepta est, secundum id, quod habet accepta est, non secundum id, quod non habet. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat; vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum.

Cap. 9.

HOc autẽ dico, qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est. Dispersit, dedit pauperibus. Iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.

1. Thess. 5.

ROgamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis, vt habeatis illos

illos abundantius in charitate propter opus illorum.

Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat vobis omnia abundè ad fruendum, bene agere diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. 1.Timoth 6

Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Hebr. 13.

Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.

Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. Iacob 2.

QVI habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. 1.Ioan.3.

CAP. DECIMVMOCTAVVM:

Ex sacrosancto Christi Euangelio.

BEATI misericordes, quoniam ipse misericordiam consequentur. Matth 5.

THesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, neque furantur. Cap. 6.

P Venite

Cap. 25.  ENITE benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnũ a constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi mãducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me: Infirmus, & visitastis me; In carcere eram, & venistis ad me.

Marci cap. 9  VISQVIS potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ ĩ nomine meo, qui Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suã.

Lucæ cap. 3. QVi habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

Cap. 6. Omni petenti te tribue.

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.

Date, & dabitur vobis.

Cap. 11. Quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.

Cap. 12. VEndite, quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurũ non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

Cap. 14. CVm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris: Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Cap. 18. ADhuc vnum tibi deest; omnia quæcunq; habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.

CAP.

CAP. DECIMVMOCTAVVM.

Ex veteri Teſtamento.



PPARVIT ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei: cùmque eleuaſſet oculos apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum; quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui,& adorauit in terram,& dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuũ, ſed afferam pauxillum áquæ, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore: Ponamque buccellam panis,& confortetur cor veſtrum,poſtea tranſibitis: Idcirco enim declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Qui dixerunt: Fac vt loquutus es. Feſtinauit Abraham ĩ tabernaculũ ad Saram, dixitque ei. Accelera tria ſata ſimilæ, commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit,& tulit inde vitulum tenerrimum,& optimum, deditque puero, qui feſtinauit,& coxit illum, tulit quoque butyrum,& lac,& vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis; ipſe verò ſtabat iuxta eos ſub arbore. Cùmque comediſſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? Ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore iſto vita comite,& habebit filium Sara vxor tua. Gen. 18.



Ranſibat Eliſeus per Sunam ciuitatem: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem: cùmque frequenter inde tranſiret, diuertebat ad eã, vt comederet panem. Quæ dixit ad virum ſuum: Animaduerto, quòd vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. Faciamus 4 Reg. 4.

ergo ei cœnaculum paruum,& ponamus ei in eo lectulum,& mensam,& sellam,& candelabrum, vt cùm venerit ad nos,maneat ibi. Facta est ergo dies quædam,& veniens diuertit in cœnaculum, & requieuit ibi:dixitque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam;qui cum vocasset eam,& illa stetisset coram eo,dixit ad puerum suum. Loquere ad eam. Ecce sedulò in omnibus ministrasti nobis,quid vis, vt faciam tibi ? nunquid habes negocium,& vis,vt loquar Regi, siue Principi militiæ ? quæ respondit. In medio populi mei habito,& ait: Quid ergo vult,vt faciam ei ? dixitque Giezi:Ne quæras, filium enim non habet, & vir eius senex est. Præcepit itaquè vt vocaret eam, quæ cùm vocata fuisset,& stetisset ante ostium,dixit ad eã. In tempore isto,in hac eadem hora si vita comes fuerit,habebis in vtero filium, at illa respondit.Noli quæso domine mi vir Dei,noli mentiri ancillæ tuæ.Et concepit mulier,& peperit filium in tempore,& in hora eadem,qua dixerat Eliseus.

Iob 4. X substantia tua fac eleemosynã, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita enim fiet,vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit,abundanter tribue:si exiguum tibi fuerit,etiã exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum thesaurizas in die necessitatis. Quoniã eleemosyna ab omni peccato,& à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam, Panem tuũ cum esurientibus,& egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.

BOna est oratio cum ieiunio,& eleemosyna,magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccatum, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam. Cap. 12.

IVnior fui,etenim senui, & non vidi iustum derelictum,nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur:& cõmodat,& semen eius ĩ benedictione erit. Psalm. 36.

BEatus vir,qui intelligit super egenum, & pauperem,in die mala liberabit eum Dominus: Dominus conseruet eum,& viuificet eum,& beatum faciat eum in terra:& non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Psalm. 40.

FIant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem,& mendicum. Psalm. 108.

IVcundus homo,qui miseretur,& commodat;quia in æternum non commouebitur. Dispersit, dedit pauperibus,iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Psal. 111.

MIsericordia,& veritas te non deserant,circunda eas gutturi tuo,& describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam,& disciplinam bonam coram Deo,& hominibus. Prouerb. 4.

Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, &implebuntur horrea tua saturitate; & vino torcularia tua redun-

redundabunt. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales & ipse benefac. Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, cras dabo tibi, cũ statim possis dare.

Cap. 11. Benefacit animæ suæ vir misericors.

Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput distribuentis.

Qui confidit in diuitijs suis, corruet: iusti autem quasi virens folium germinabunt.

Cap. 13. Redemptio viri, diuitiæ eius.

Cap. 14. Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Qui credit in domino, misericordiam diligit. Misericordia, & veritas præparant bona.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

Cap. 15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata.

Cap. 16. Misericordia & veritate redimitur iniquitas.

Cap. 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.

Cap. 21. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.

Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet

vitam

vitam, iustitiam, & gloriam.
Qui iustus est, retribuet, & non cessabit.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Cap. 22.
Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.

Qui dat pauperi, non indigebit. Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Cap. 28.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. Ecclesi. 11.

Ignem ardentem extinguit aqua; Et eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius, qui reddit gratiam: meminit in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum. Ecclesiastici Cap. 3.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere. Animam esurientē ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datū angustianti. Rogationem contribulati ne abijcias, & non auertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram; & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet enim eum qui fecit illum. Congregationi pauperum affabilem te facito. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine. In iudicio esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi, & miserebitur tui magis, quàm mater. Nō sit porrecta manus tua ad accipiendū, & ad [illegible] dandum Cap. 4.

dandum collecta. Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua.

Cap. 12. Non est ei bene, qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti.

Cap. 14. Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Nõ defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat. Nonne alijs relinques dolores, & labores tuos in diuisione sortis? Da, & accipe, & iustifica animam tuam.

Cap. 16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius.

Cap. 17. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiã hominis, quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet retributionẽ vnicuiq; in caput ipsorũ.

Cap. 29. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo; & in omni tempore inuenies, quod tibi necessarium est. Propter mandata assume pauperem; & propter inopiam eius, ne dimittas eum vacuum.

Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem.

Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.

Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.

Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso: & gratiã hominis, quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput illorum

illorum, & super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.

Qui facit misericordiam offert sacrificium. Cap. 35.
In omni dato hilarem fac vultum tuum.


FRANGE esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit; & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculorum: fundaměta generationis & generationis suscitabis; & vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem. Isa. 58.

Et vir si fuerit iustus, & panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, vita viuet, ait Dominus Deus. Dan 4.

Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Osea x.

Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ. Cap. 12.

Q Miseri-

Cap. 12. Misericordiam, & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.


Mich. 6. Indicabo tibi o homo, quid sit bonũ, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Domino Deo tuo.

Zach. 7. Misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo.

F I N I S.

L A V S D E O:

B. Q. V. M.



INSIGNES QVORVNDAM eleemosynæ, eorumdemque cùm in hac, tum in alia vita merces & præmium.

D

E

G

I

Marcianus

Idem

Eiusdem



INDEX

RERVM ET SENTENTIARVM maximè illustrium quæ hoc opere continentur.

EX INNOCENTIO III. PONT.

EX GREGORIO PONT.



Hoc

Hoc quòd iacenti in terra porrigitur, sedenti in cœlo datur. ibidem.

Qui tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicã suam, quando in persecutionis tempore daturus est animam suam? ibidem.

EX LEONE PONT.



QVICQVID in opera pietatis impenditur non minuitur, sed augetur. ibidem.

Non erit delictorum memoria, vbi testimonium pietatis adfuerit. ibidem.

Ille qui in suis pascitur, quæ potuit augere dando, potest multiplicare augendo. fol. 65.

Nulla deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm ista quæ pauperibus impenditur. ibid.

Non potest largitatis deesse materies vbi Christus & pascit & pascitur. ibidem.

Securus & hilaris sit eleemosynæ distributor, quia tūc maximum lucrum habebit quando sibi minimum reseruauerit. ibidem.

Qui suum ab inope non auertit animum, citò ad se Domini conuertet auditum. ibidem.

In eleemosynæ largitione, sententia iudicaturi in potestate ponitur iudicandi. ibidem.

Substantia tua cum bene erogatur, augetur. f. 67.

Qui dat vt habeas, mandat vt tribuas. ibidem.

Quamuis non habeas nisi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. ibidem.

Qui pecunias amat & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit, Date & dabitur vobis. ibidem.

Infidelis & iniquus est sibi, qui quod æstimat diligendum, non vult habere perpetuum. ibidem.

SENTENTIARVM.

EX D. AVGVSTINO.

CHRISTVS diues, pauper esse voluit, vt haberes pauperes quibus dares. fol.73.

Da comiti, & illum adiuuas & te releuas. ibid.

Numerans filios tuos, adde vnum inter illos Deum tuum. ibidem.

Vnum habes, sit ille secundus; duos habes, sit ille tertius; tres habes, sit ille quartus. ibidem.

Seruat tibi pater tuus, seruas tu filijs tuis, filij tui filijs suis, & sic per omnes; & nullus facturus est praecepta Dei. fol.74.

Nunquam vidi piũ hominẽ mala morte finiri. fol.75.

Nunquam recordor me leg'sse mala morte periisse eũ, qui libenter in hac vita, opera caritatis vel pietatis voluit exercere. ibidem.

Misericordia salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum. ibidem.

Præbe terram & accipe cœlum. fol.77.

Diues & pauper duo sunt sibi cõtraria, sed iterum duo sunt sibi necessaria. ibidem.

EX D. HIERONYMO.

NON memini me legisse mala morte mortuũ, qui libenter opera pietatis exercuit. ibid.

Qui iram districti iudicis quam peccando meruit, placare desiderat; eleemosynas det pauperibus. fol.78.

Quando eleemosynas damus, non damus quasi de nostro, sed de dono Christi. ibidem.

Magis tu agito gratias Christo quando dederis, quàm frater qui a te acceperit, tibi agat gratias. fol.79.

Peccata quæ aliter lauare nonpossumus, extinguit ele-

EX D. AMBROSIO.

Vide

Vide quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna & sola virtus est cunctorum redemptio peccatorũ. fol.84.
Ita eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. fol.85.
Indulgentior quodam modo est eleemosyna quàm lauacrum. ibidem.
Nihil tàm commendat Christianam animam quàm misericordia. ibidem.
Si nudum vestias, te ipsum induis iustitiam. ibidem.
Magna est eleemosyna quæ ardentium criminum globos, beneuolentiæ suæ fonte refrigerat. fol.86.
Deus quamuis offensus, quamuis criminibus prouocatus, cogitur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. ibidem.

EX D. CHRYSOSTOMO.

Ars est omniũ artiũ quæstuosissima, eleemosyna. fol.87
Sicut mare nauigari non potest portubus & stationibus obrutis, ita nec hæc iura constant si misericordiam tollas, &c. ibidem.
Nisi homo misericors sit, esse desijt homo. ibid.
Maiora recipis quàm largiris, beneficiumque potius accipere quàm ferre probaris. ibidem.
Quæ frustra & in vanum reposita sunt, ea vult benè distribui, vt occasione accepta hinc nos coronet. f.89.
Da eleemosynam & tunc pecunia non solum non consumetur, verũetiã maiora incremẽta suscipiet. ibid.
Multo maius est quàm in nomine IESV mortuos suscitare, esurientem pascere Christum. fol.90.
Nihil ita Deum attrahit sicut eleemosyna. ibidẽ.
Expellitur virginitas si eleemosynam nõ habeat. ibid.
Nihil tantum habet virium ad extinguenda peccato. incendia, quantum eleemosyna. fol.91.

te; feruentiore omnes inter se caritate vinciret. ibid.
Res pauperum tibi credita est, etiã si laboribus iustis, etiam si hæreditate paterna in te peruenerit. ibid.
In omnibus fere parabolis ille ponitur qui sua pecunia probè vsus non est. ibidem.
Mutuò tibi concessit vt probitatem inde quæras. ibid.
Nulla re alia magis Deus irritatur, quàm si proximi commoditatem despicias. fol. 98.
Rapina est, fraudatio & spoliatio, non impartiri de tuis facultatibus. ibidem.
Quoties eleemosynam non præstiterimus, pari cum his qui spoliant, supplicio afficiemur. fol. 99.
Ideo tibi plura possidere permisit Deus, vt ea distribuere res egentibus. ibidem.
Diues qui receptor tãtum est pecuniarum, si quid amplius quam possidet necessitas in seipsum insumpserit, grauissimas daturus est pœnas. ibidem.
Qui vult diues fieri, fiat pauper vt diues euadat; expendat vt colligat; dispergat vt congreget. f. 100.
Cupis hæreditatem bonam filijs relinquere? Eleemosynam relinque. ibidem.
Væ eleemosynas & pietatis opera non exercenti: nulla nãq; nulla venia est eleemosynas non facienti. ibid.
Possibile non est aliter saluari quàm per eleemosynam. ibidem.
Deus dispensatores diuitiarum nos voluit esse, non dominos. ibidem.

EX NAZIANZENO.


VLLA re ex omnibus Deus perinde ac misericordia colitur. fol. 101.
Omnibus pauperibus misericordiæ viscera sunt apenenda, ob quãcunque etiam causam affligantur. ibidem.

EX D. BASILIO.

EX D.

EX D. CYPRIANO.



FINIRI non potest vnde in vsus CHRISTI impenditur. ibidem.
In tuto hæreditas ponitur quæ Deo custode seruatur. fol. 110.

FINIS.

Candido Lectori S.



NVM te Lector admonitũ volumus, hoc quicquid est operis imperfectius paulo quàm vellemus in lucem prodire. Etsi enim amplius quam dimidiam partem cum ipsis fontibus vnde hæc desumpta erant contulerimus, locaq; ipsa non omnino negligenter annotauerimus: nonnulla tamẽ remansere quibus extrema manus imponi non potuit. Sunt & locutiones nonnullæ duriores, & sententiæ quædam satis perplexæ. Verum nostrum non fuit auctores aut corrigere, aut veriorem lectionem aliunde eruere. Vt inuenimus ita damus. Dolemus tamen prius in manus nostras non venisse, R.P. & Abbatis Iacobi Billij Nazianzeni. Multis enim partibus & clarior & verior ipsius versio est quã alia. Inuenies & voces aliquot, in Metaphraste præsertim, quæ difficultatem cuiuis meritò facere possint; cuiusmodi sunt, antechã, id est arcam; psiatum; tingere panem in schemate &c recanella; esophorium. ad quas explicandas Oedipo aliquo forte opus esset. Inuenies & quasdam cum græcæ sint pro latinis tamen positas, vt fol 29. cum floreis & racis. rhacos vel rhaccos græcis est quod latinis pannus vilis & vestis lacera. Argentum autem anaglyphum, non ineptè forsitan quis [redacted] transtulerit Cætera huius generis partim quia faciliora sunt, partim breuitatis causa prætermittimus. Extremum est vt ea quæ ab operis peccata sunt, puræ veræq; lectioni restituta, proferamus Quare

asperũ, quod q̃ cælaturus habet inæquales et eminẽtes

ERRATA SIC CORRIGITO.

Fol. 19 v. 7. o philochristi fol. 20 v. 1. proijciunt fol. 22 v. penult. Telonium fol. 40 v. 10. ordina te fol. 44. fol. 51. in titulo, EX GREG. TVRON. fol 52. v. 6 hebes v. 14 onmi v. 21. Pauci fol. 53. in margine qui se v. 17. leuauit fol. 59 in titulo.

EX GREG. PONT. *fol. 56. v. 17 iurgio: v 19 possum. & redde v. 24 in terra v. 25 in sinu v. 29. habes v. 34 Dei fol. 64 in margine homiliæ fol. 67. repone 66 & 66 lege 67. Et pro 71 substitue 70, & loco 70 pone 71 fol. 71 in fine, pro infirmi lege primus fol. 77 Verba illa marginis Super illud &c. imediatè sequantur illa In Prou. 3. in princ. fol. 79 v. pen. tempore fol. 80 in marg. pro Lib. substitue Lib. f. 82 v. 14 Facis vt & v. 17. In marg. pro omnis, Hominis fol. 92 in fine pro facias lege Vis frui fol. 93 v. 13 conferet fol. 96 in fine in marg. dispensatorem fol. 98. v. 22 accusari fol. 101 v. pen flentibus fol. 103 v 4 a fine tyrannus fol. 104 v. 9 sublata fol. 109. in margine Pulcherrima fol. 113 v. 5 a fine ipsi fol. 119. v. 3 a fine iudicando v. vltimo, Altissimi obediens et, fol. 120 in marg. pone cap. 7. ad illud Pauperi porrige fol. 121 v. 8. despexeris.*

In primo Indice, ī medio omissa est litera T. ante, Thophanius &c.

Cætera quæ leniora sunt, candido seduloque lectori committimus.

ROMÆ,

Apud Victorium Elianum.

MDLXXIV.

Permissu Superiorum.

